



\* D \* D \* T \*



7 6 0 4





6035

Præ multis hunc de præsti tractatum,  
Matthæi filii, tibi familiarem reddi.  
Quia & consilia Schröteri sapius  
confule. Insuper tibi præterea  
indeq; multo à me labore  
congestus.



Εὐχὴ καὶ ὄρεσι :

Namq; præces castæ pallentes pellere morbos  
Votaq; Poconia fortius arte solent  
Stichius lib. 4. El. 9.





*II. 126.*

*D.*







D E  
VERA RATIONE  
CVRANDI BVBONIS,  
Atq. Carbunculi pestilentis,  
DEQVE EORVNDEN PRAECAVTIONE  
Commentarius.

A V T H O R E  
IOAN. BAPTISTA GEMMA VENETO,  
*Serenissimi Regis Polonia, ac Suetiae &c.  
Medico Physico.*

*Tertia editio priorib. emendatior, ac locupletior.*

C V M P R I V I L E G I I S.



*Daniel Hoffmann D.*



VENETIIS, Apud Ioan. de Albertis.

M. D. C. I. I.





*IN COMMENTARIUM DE PESTE*  
*Ioannis Baptistæ Gemmæ Medici Regij.*

*Quos Adamas habet vsus? Quid Carbunculus? ignis*  
*Scintillans, Smaragdi herbida luxuries.*

*Littore ab Aßyrio cui concha bono? ista benignus*  
*Adria, quam mittit, gemma legenda tibi est.*

*Pæoniam præbebit opem, dum funera Erynnis*  
*Miscet, et à Stygia virus inhalat aqua.*

*Haud incerta fero, sacro ipse Epidaurius ore*  
*Dixit, si qua fides, utere, tutus eris.*

*Matthias Smogoleſzki Nob. Polonus,*  
*et Secretarius Regius.*

*IN EVNDEM.*

*Pellere sæua doces diræ contagia peſtis,*

*Heroas olim, quæ docuisse ferunt.*

*Idque ut cultorem Phœbi decet, ordine claro,*

*Et puris verbis, ingenuaque fide.*

*Quàm benè Gemma tibi heroum debentur honores,*

*Quàm benè te Gemmam quisque vocare solet.*

*Jo. Bapt. Clarius Sereniſſ.*

*Archid. Ferdinandi Austriae*

*Medicus.*

*SERE-*






SERENISSIMO,

ATQVE POTENTISSIMO

SIGISMUNDO III.

Poloniæ & Suetiæ Regi, &c.



*Joannes Bapt. Gemma felic. P.*



Varijs infortunijs, & calamitatibus obnoxium esse genus humanum, Sereniff. Rex, non sine animi tristitia in dies oculis ipsis intuemur, nihil tamen magis exitiosum mortalibus contingere potest, quam cum pestis virus suum exerit, ac longè, lateq. diffundit; idq. funestius sanè, quam in bello accidit; Nam in eo pereunt plurimi, sed viriliter, & gloriosè pro Reipubl. salute, atque Imperij amplitudine succumbunt; Pestis autem cõtatione civibus spoliatur vrbes, ac miserrimè devastan-

a 2 tur;



tur: In acie, qui pereunt, occidunt statim, & alij in eorum locum succedunt. Hęc verò pestifera lues infinitos propemodum cruciat vehementer, atq. eodem ferè momento extinguit. Ad hoc porrò malum auertendum, & veluti immanissimam feram compescendā, multa fuerunt documenta ab Hippoc. tempore scriptis mandata, eaq. celeberrima extant; ob rei tamen summam difficultatem nō paucis dubitationibus adhuc inuolutam esse hanc tractationem viri peritissimi, atq. ingenui testantur. Propterea ego, quàmuis imbecillitatis meę conscius, onus longè impar viribus meis facilè sentiam, tamē (cum fat sit voluisse in magnis) periculum faciendum mihi duxi, num qua ratione tantæ calamitati obuiam iri, & opportuna remedia afferri possint. Commentariolū igitur hunc ex Hippo. & Galeni placitis, qua potui breuitate, atq. perspicuitate exaravi, quem cum medicis aliquibus minimè displicuisse intelligerem, reliquis etiā huius facultatis studiosis, eundem communicare non sum veritus; ita tamen, vt ad meam singularem, ac debitam M. V. S. obseruantiam, aliqua ex parte

parte



parte significandam, hoc quaecumq. vigi-  
liarum mearum munus sub felicibus auspi-  
cijs M. V. S. publicarem, ac vnà me ipsum  
traderem, dicaremq. in perpetuum. Voluif-  
sem, ac debuifsem quidem grauiora quēdā,  
quæ meditatus sum M. V. S. offerre; verūm  
ea hucusq. perficiendi mihi facultas nō fuit,  
spero autem eius fauore, atq. liberalitate ali-  
quando futurum, vt literarum otio totum  
me tradere possim, & aliqua non indigna  
fortasse Regia Maiest. V. sub Clypeo suæ  
benignitatis posteritati commendare. Inte-  
rim Deus Opt. Max. M. V. S. vnà cum Sere-  
nissimis liberis ab imminente pestis pericu-  
lo, atq. ab omnibus malis tueri, & ad glorię,  
& felicitatis culmen perducere dignetur.

Dat. Varsouiaē Cal. Ianuarij. M. DC.

CLA-



CLARISSIMO VIRO

D. IOAN. BAPTISTAE

GEMMAE VENETO,

Serenissimi, Potentissimiq. REGIS POLONIAE,

ac SVETIAE, &c. Medico Physico

præstantissimo

BONCIUS LEO Medicus, & Acade-

micus VENET. S. D.



*Aud plurimum quidem mirari debe-*  
*mus, (Ioan. Baptista doctissime)*  
*Quòd Antiquitas HERCVLEM,*  
*qui face, ac ferro Hydram in Lerneæ*  
*palude oppresserit, qui ingentes aues*  
*Stymphalides, totã penè Arcadiam devastãtes, sagittis*  
*traiecerit, & iuxta Cleonas in Nemoea sylva inusitatae*  
*magnitudinis Leonẽ iugulauerit, Quiq. tot alia domue-*  
*rit monstra, summis ac miris prosequuta sit laudibus.*  
*Quandoquidem Vir hic pro publica hominũ salute nullis*  
*laboribus, nulla defatigatione ingrauescẽs, dignũ merito*  
*se præstitit, vt cõmuni consensu in Deorum numero loca-*  
*retur. Et quid minus autumabimus, te belluarũ omninũ*  
*immanissimẽ ferẽ tot colubris, tot capitibus pullulantis,*  
*PESTIS videlicet, seu à PESTE oriundorũ monstrorũ,*  
*ANTHRACIS nempe, & BVBONIS Insecutorẽ, op-*  
*pugnatorẽ, exterminatorẽq. à Posteritate laudatũ iri?*  
*Quis erit, qui vnquam dubitet, quin celebratissimi tui*  
*nominis*



nominis memoria Aeternitati ab hominib. sit cōsecrāda?  
Adeo sanè doctè, diserte a deo, adeo diligenter horum pe-  
stiferorum affectuum genus, originē, propriā q. naturā,  
et notas, et quib. mirum in modum homines cōflētātur,  
læsiones descripsisti, ipsorum q. curam, profligationem, et  
ab eisdem præcautionem nos docuisti; Vt in crudelissima  
hac lue eminus, cominus q. disijcienda, debellanda q. in-  
star sapientissimi apud Græcos COI Senis, te summi, et  
immortalis HERCVLIS generosam, et legitimam pro-  
geniem iure patefeceris. Tibi igitur nostri temporis Me-  
dicinæ Coryphæo non solum ipsa Medicorum Schola, sed  
et aliorum hominum coetus, Quæque ob id tibi maxime  
debent Regiæ Vrbes, et Ciuitates diuinos pariter honores  
decernant; Eam enim gloriam tuis perquàm doctis, &  
elegantissimis Cōmentarijs te fuisse cōsequutum video,  
quam omnia secula, et omnium ora perpetuo celebrabūt:  
de qua nulla conticescet ætas, et quam Scriptorum litte-  
ra omnino ab oblivione vindicabunt. Dij immortales, cū  
prestantiam, & doctrinam tuam omnes ferè ubiq. ter-  
rarum prædicent, incassum laborem iam subijisse videor,  
qui tibi plura encomia recantem. Qua de re illud vnum  
saltem, mihi concessum sit, exoptem: vt diuinorum tuo-  
rum operum admirator sin, & spectator. Tu autem Vir  
Magnanime, tu GEMMA auro, gemmis que cæteris  
preciosior, ac carior me tibi, virtuti que tuæ semper de-  
ditum, semper que deuinctum fore, fac existimes, diu-  
que felix viuas, & valeas.


VENETIIS V. Kal. Ian. M DC.



# AUTHORVM

## QUORVM HOC IN

Opere fit mentio,



## NOMINA.

- |                             |                              |
|-----------------------------|------------------------------|
| <b>A</b> neas Caprilius.    | Hieronymus Reusnerus.        |
| Alexāder Benedictus.        | Hippocrates.                 |
| Alexander Massaria.         | Horat. Augenius à monte      |
| Ambrosius Paræus Gallus.    | Sancto.                      |
| Ant. Chalmeteus.            | Iacobus Hollerius.           |
| Aristoteles.                | Ioannes Fernelius.           |
| Arnaldus Villanouanus.      | Ioannes Heurnius.            |
| Augustinus Niphus.          | Ioannes Iacobus Mannius.     |
| Auicennas.                  | Ioannes Baptista Siluaticus. |
| Bernardus Gordonius.        | Ioannes Crato.               |
| Comes Montanus Vicētinus.   | Ioan. Iacob. VvecKerus.      |
| Cornelius Gemma.            | Iosephus Quercetanus.        |
| Eustachius Rudius.          | Iulianus Palmerius Gallus.   |
| Fabius Pacius Vicentinus.   | Leonarthus Fuchsius.         |
| Felix Platerus Basiliensis. | Lucas Ghinus.                |
| Franciscus Valeriola.       | Martinus Rolāndus.           |
| Franciscus Vallesius.       | Medic. Quid. Germanus.       |
| Gabriel Fallopius.          | Michael Paschalius Hispanus  |
| Galenus.                    | Nicolaus Massa.              |
| Gerardus Columba Messa-     | Petrus Forestus.             |
| nenfis.                     | Petrus Andreas Mattiolus     |
| Hercules Saxonia.           | Senensis.                    |
| Hieronymus Fracastoreus.    | Petrus de Abano.             |
| Hieronymus Cardanus.        | Rafis.                       |
| Hieronymus Mercurialis.     | Ruffus.                      |
| Hieronymus Capiuacceus.     | Saluus Sclanus.              |
| Hieronymus Fabricius ab A-  | Theophrastus Paracelsus.     |
| qua pendente.               | Victor Trincauellius.        |



DE  
 VERA RATIONE  
 CVRANDI BVBONIS,  
 ATQVE CARBUNCVLI PE-  
 stilentis, nec non de ipsius præcautio-  
 ne Commentarius.



*Quicumque morbi publicè grassari cōsue-  
 uere cum plurimorum interfectione,  
 hos epidemicos, seu communes perni-  
 ciosos, ac pestilentes Veteres medici  
 nuncuparunt. Quos, cum omnium  
 eadem non sit forma, diuersam quoque requirere tra-  
 ctationem, non secus, ac de sporadicis, siue priuatis,  
 ac dispersis obseruatum uidemus, semper sum arbitra-  
 tus: Differre .n. inter se tam essentia, quam curatio-  
 ne Phrenitidem, Anginam, Pleuritidem, Dysente-  
 riam, Peticularem febrem, atque ceteros pestilentes  
 morbos Vnusquisque sine controuersia fateri coactus  
 erit. Quod quidem animaduertens inter alios celebres  
 authores nostri temporis Ambrosius Paræus Gallus  
 lib. de peste cap. 5. aperte fassus est unà cū Hippocra-  
 te, & Galeno, pestem nec semper, nec ubiq; u-  
 nius, & eiusdem esse generis, sed diuersorum. Pestis  
 enim æquiuoca Vox est, atq; de pluribus morbis inter  
 se differentibus prædicari solet. Relictis igitur in præ-  
 sentia reliquis alijs, solius Bubonis, atque Carbunculi*

A pesti-

In libris  
 Epide-  
 miorū.

*Paræus*

*Pestis est  
 diuersi generis*

*Propositi tractatus*



## 2 De vera Ratione Curandi

peſtiferi curandi, ea qua potero breuitate, rationalium  
methodum tradere conabor. Is enim morbus præ alijs  
ſepiffime genus humanum affligere conſuevit, ut mi-  
nime ſit mirandum, ſi vulgus nullam aliam peſtem  
agnoscat, niſi quando iſti tumores apparere ſolent. Et  
quamuis non ſim neſcius, plurimos huius facultatis  
profefſores hanc eandem prouinciam ſumma cum laude  
ſuſcepiffe; nihilominus in re admodum ardua, difficili,  
atq; humano generi vtili, ac neceſſaria ſententiam quo-  
que meam medicine ſtudioſis patefacere non grauabor.  
Cũque in omni eiufmodi tractatione, ab ipſius morbi ef-  
ſentia, de quo agitur, exordiendum eſſe rationales me-  
dici ſtatuerint; ideo quid nam ſint affectus iſti impri-  
mis oſtendendum erit, mox eorum cauſa indaganda,  
ſigna tam pathognomonica, quam prognostica patefa-  
cienda; atque ultimo loco de ipſorum curatione, ac præ-  
cautione, que finis erit harum contemplationum, dilu-  
cidè erit explicandum. In qua quidem tractatione in-  
utiles queſtiones vitare decreui, quas uerò attingam,  
eas non cõtendendi, alijs ſuè quidquam detrahendi ſtu-  
dio, ſed veritatis indaganda gratia à me propoſitas  
fuiſſe. Vnusquisque haud difficulter agnoſcere poterit.  
**Nomè.** Cum primùm in aliqua Ciuitate, uel prouincia ægro-  
tantibus Bubones apparent circa emunctoria partium  
principalium noſtri corporis, cũ quibus ☉ Anthraces,  
ſeu Carbunculi conſpiciuntur in aliqua ex reliquis cor-  
poris externis partibus, ut quidem fieri ſolet, idq; cum  
plurimorum interfectione; tũc fatentur omnes, qui Hip-  
pocratis



Bubonis, & Carbunc. Pest. 3

Procratis & Galeni dogmata sequuntur, pestem iam ijs  
 in locis grassari, morbum que hunc Itali, uernacula sua  
 lingua, ob glandularum in inguine inflammationem,  
 uocare solent la Giandussa, & L' Anguinaglia. Cuius  
 morbi essentiam medica definitione sic delineare possu-  
 mus; Vt Bubo pestilens nil aliud sit, quam glandula- Defini-  
rum inflammatio circa aliquod ex emunctorijs partiũ tio.  
principum ipsius corporis ab insigni, atq; cõtagnosa pu-  
tre dine ipsius massæ sanguineæ, ob communem causam  
excitata. Anthrax uero, seu Carbunculus pestilens sub  
 eodem genere continetur, atque ab iisdem causis produ-  
 citur; in eo uerò à Bubone differt, quòd Carbunculus  
 nullam peculiarẽ sedem habet, sed reliquas alias exter-  
 nas corporis partes occupare solet, & à calidioribus,  
 atrabilarijs que succis excitatur; Vt nihil aliud sit Car-  
 bunculus pestilens, quã inflammatio partiũ externarũ  
 nostri corporis ab atrabile excitata, ea que insigniter  
 putrida, & contagiosa, ob communem causam. Quòd  
 uerò hi tumores sub genere inflammationis recenseri de-  
 beant ex Galeno didicimus, qui libro de tumoribus  
 præter naturam, 1 3. methodi, & alibi sparsim tumo-  
 res omnes, qui à calidioribus succis generantur, sub gene-  
 re inflammationum iure merito reposuit. Hanc eandem  
 sententiam sequuti sunt Arabes, & Latini omnes,  
 qui de tumoribus præter naturam hætenus opuscula  
 edidere. Hinc error illorum manifestè conspicitur, qui  
 pestilentes hos tumores sub genere morborũ totius for-  
 mæ uel substantiæ reponere non dubitarunt. Hi enim

Gemes

Nō sunt  
 morbi  
 toti sub

A 2 morbi



## De vera Ratione Curandi

**Antia** . morbi sub aliquo ex tribus generibus à Galeno propo-  
tis lib. de diff. morborum reponi debent, etiamsi illis  
concederetur, ab occulta causa eos ortum suum habere;  
Differunt enim hæc inter se, morbus, & morbi causa,  
uti optime annotarunt celeberrimi nostræ ætatis medi-

Lib. de morbis. Comm. in lib. Meth. Galeni. **ci Comes Montanus, & Fabius Pacius patricij Vicen-**  
**tini aduersus Fernelium . Neque ij etiam ab errore**  
**immunes esse mihi uidentur, qui hos tumores inter**  
**symptomata febrium pestilentium repositos uolunt.**  
Simplicem enim pestilentem febrem ab his tumoribus  
in eo differre puto, in quo reliquæ febres putridæ ab An-  
gina, Phrenitide, atq; eiusmodi alijs inflammationibus

Lib. 13. Meth. i. **in quibus ex Galeni & omnium probatissimorum autho-**  
**rum sententia, febris nõ quidem morbus per se, sed po-**  
**tius symptoma ipsarum inflammationum censetur, &**  
**si uno, ac ferè eodem momento simul se prodant; aliàs**  
**sub genere febris & istas inflammationes reponere de-**  
**beremus, quod est omnino absurdum, & à Galeni do-**  
**ctrina alienum . Deinde nemo admittet in non pestilen-**  
**ti carbunculo febrem pro morbo, & non potius pro ip-**  
**sius Carbunculi symptomate agnoscendam esse . Cur**  
**igitur & in pestilenti idem statuendum non sit, animo**  
**perscrutari nequeo . Quid? nonne febris diaria ex Bubo-**  
**ne pro symptomatica recensetur? Adde, quod sæpissime**  
**contingit (id quod ex Hippoc. Gal. & alijs doctissimis**  
**Medicis inferius probabo) hos tumores, saltem à prin-**  
**cipio, quandoque absque ulla febre sese prodere; unde**  
**manifeste conuincitur ipsius febris, quæ nulla adhuc**  
**apparet.**

*Febris bubonis  
est Syngloma  
non e contra  
infra f. 72.*

*Contra Placry  
& febribus  
f. 72 &  
aliquot pag.*



## Bubonis, & Carbunc. Pest.

5

apparet, non posse esse symptoma, cum symptoma mor-  
bum sequatur, vti umbra corpus: quinimò hinc con-  
trarium potius asserendum est, febrem esse horum tu-  
morum symptoma, non secus, at que in alijs tam inter-  
nis, quàm externis inflammationibus à doctõribus  
iamdiu sancitum est; Et hoc satis in præsentia pro ex-  
plicatione ipsius generis, quod in ipsa definitione posi-  
tum est. Nunc reliquum est, ut qua loco differentie  
constituimus fusius exponamus. Dixi Bubones esse  
glandularum inflammationes circa emunctoria par-  
tium principalium nostri corporis, Anthraces verò qua-  
rumlibet aliarum partium externarum; Quibus ver-  
bis sedes affecta manifestè ostenduntur, simulque de-  
monstratur ab alijs internis inflammationibus, &  
affectibus pestilentibus longè hos differre; Quæ verò  
sint emunctoria ista, unicuique manifestum esse pu-  
tos; hæc enim sunt inguina, ala, & aures; vbi glandu-  
le quædam reperiuntur, quæ spongiarum instar facile  
excrementitios humores recipere consueverunt; Has  
enim mira arte natura fabrefecit, & potissimum cum  
Principes partes, nempe cor, iecur, & cerebrum à mor-  
bificis causis irritantur, confestim ad ista loca, tanquàm  
ad cloacam quandam eas demandare, atque expultri-  
ce facultate, qua pollent, protrudere valeant. Quòd  
verò Anthraces in reliquis alijs partibus externis tẽ-  
pore huius pestis sæpissime conspiciantur, quotidianam  
nos docet experientia, ut superuacaneum fuerit alijs  
argumentis ista comprobare. Iam quia hæc inflamma-  
tiones

Diffia Differentia

Emunctoria 4:



6 De vera Ratione Curandi

tiones etiam in non pestilenti constitutione aliquando à nobis conspiciuntur; ideo reliqua in definitione à nobis addita sunt, ut hæc ab illis facilius dignoscerentur.

**Cause interne explicant.** Quòd verò hi tumores ab insigni humorum putredine excitentur Galenus varijs in locis nobis insinuavit, quem secuti sunt plerique nostræ ætatis Medici præ-

**An venenata qualitas horum tumorum causa.** clarissimi. Quia verò nonnulli, & magnæ quidem auctoritatis, huic sententiæ minimè adstipulantur, sed præter insignem putredinem venenatam, nescio quam, qualitatem, vnde istæ inflammationes generentur, excogitarunt; ideo nonnihil hoc in loco immorandum erit, atque quàm brevissime demonstrandum, præter insignem putredinem, nullam aliam causam siue internam, siue externam ad horum tumorum, imò ad omnium pestilentium morborum generationem requiri.

Quòd si quis nihilominus fuerit, qui contrariam sententiam retinere velit, cogetur iste, relicta rationali methodo, ad empyricam confugere, quoadusque certam aliquam antidotum inueniat, quæ venenatam hanc qualitatem, quam, qualis nam ea sit, adhuc ignorant isti, profligare valeat; cum certo certius sit, non vnica antidoto venena omnia curari, sed varijs, & quandoque inter se contrarijs, ob venenorum inter se formas contrarias. Sed quia isti frustra hætenus meo iudicio laborarunt, ideo à regia nostra methodo minimè discedendum censeo, & eadem via, qua & alij non pestilentes morbi curantur, & hunc curari posse non dubito.

Sed

Præter insignem putredinem nulla est occulta qualitas. f. 87  
 Vide contra sententiam præter insignem putredinem  
 hunc soluit sic dicitur  
 f. 87 b



Bubonis & Carbunc. Pest. 7

Sed tempus est, ut hanc sententiam Galeni auctoritate prius fulciamus, mox et aduersariorum figmenta diluamus. Galenus igitur lib. 1. de diff. febrium cap. 6. ubi ex professo de pestilentibus febribus verba facit, nullam aliam causam siue externam, siue internam in tota illa tractatione agnoscit, quam insignem putredinem. Verba omnia in medium non afferro, quia id nimis longum esset, sunt quae alioqui obuia, & notissima. Satis erit illud meminisse, cum causam externam exponens, ait; Summa, ut Hippocrates inquit, putredo fuit. De venenata vero qualitate in tota illa tractatione nec Verbum quidem; & tamen locus requirebat, ut huius quoque mentionem faceret, si praeter putredinem, venenatam etiam hanc causam agnouisset. Nam cum ibidem non modo febrium pestilentium causas inquirat, sed etiam quomodo nos ipsos praeseruemus ostendere curet: consentaneum, vel potius necessarium erat, ut sicuti indicauit quomodo corpora nostra a tali putredine praeseruare debeamus, declarasset quoque qua nam via ab hac venenata qualitate nobis cauere, ac tuti esse possimus; aliam manca omnino fuisset doctrina Galeni in tradenda methodo ipsius praeseruationis; & hoc argumentum tanti ponderis fuit apud praecclarissimum Augenum de Monte Sancto; ut hoc potissimum confutare decreuerit sententiam doctissimi Gerardi Columbæ Messanensis, qui praeter insignem putredinem, venenatam etiam qualitatem requiri statuit lib. suo de febre pestilenti. Sed ulterius progrediamur,

Lib. 3.  
Epist.  
medicinalium.

Augenij



diamur, alijsq; Galeni auctoritatibus sententiam nostram muniamus. Extat locus insignis comm. 3. in lib. 3. Hippocr. de morbis vulgaribus textu 29. ubi expresse ait, pestilentes febres à reliquis putridis non nisi per putredinis excellentiam quandam differre; Cur non dixit ob venenatam qualitatem? poterat ne illustrius testimonium isto in medium à me afferri? Cur venenata istius qualitatis ibidem mentionem non fecisset, si insignem putredinem haud solam febrium pestilentium causam agnouisset? Locus omnino requirebat, ut & illius quoque mentionem faceret, si hæc apud ipsum fuisset vera differentia inter pestilentes, & non pestilentes febres. Cum igitur nullam aliam in medium afferat, nisi quòd inter se differant ratione minoris vel excellentioris putredinis; & quia magis, & minus non variat speciem, fateri coguntur aduersarij ex hoc Galeni loco solam putredinem, eamq; excellentem, siue insignem, esse unicam causam non modo pestilentium febrium, sed & aliorum quoque pestilentium morborum. Expressius autem, quando de ipsis carbunculis mentionem facit, sententiam nostram comprobavit eodem loco textu 12. Iam inquit. perpetuò Carbunculorum periculosus est affectus, ex vitiosis enim humoribus constant. His verbis Galenus tam pestilentes, quàm non pestilentes comprehendisse certum est. Nam postea eos ab alijs manifestè sequentibus verbis segregat. Nunc verò (de pestilentibus iam loquitur) verisimile est, fuisse perniciosissimos, quia



## Bubonis, & Carbunc. Pest.

quia ultra naturam malignitatem, etiam quam status  
afferebat, adiunctam habebant. Fatetur igitur hoc in  
loco Galenus, carbunculos tam pestilentes, quam non  
pestilentes malignos, ac perniciosos esse; perniciosissi-  
mos verò esse pestilentes, non quia venenatam ali-  
quam qualitatem adiunctam habeant, sed quia ab in-  
signi quoque aeris putredine geniti sunt, atque fouen-  
tur; et hac sola de causa Hippocr. & Galenus pesti-  
lentes morbos à sporadicis segregari voluit; cum illi  
ab aere, tanquam à causa communiori ortum ducant,  
hi verò ob priuatos errores uniuscuiusque hominis.  
Textu porrò eiusdem libri 23. totam hanc controuer-  
siam Galenus dirimere visus est, dum inquit; abun-  
dantis humoris malignitas ex magnitudine consistit  
putredinis. Hic nulla de venenata qualitate fit men-  
tio, cum tamen disertè illam commemorandi occasio se  
obtulisset, si præter insignem putredinem, eã hic agno-  
uisset. Aduersus tamen hanc perspicuam Galeni sen-  
tentiam à doctissimis quoque nostræ ætatis Medicis di-  
lucidè comprobata, nonnulli insurrexerunt grauissi-  
mi viri, et inter alios Eustachius Rudius, vir sanè  
singulari ingenio præditus, et qui in præsentia, summa  
cum eius laude, in Patavina Academia medicinae pra-  
xim, (ut vocant) profitetur. Is enim lib. 3. qui est de  
febris, venenatae huius qualitatis fusius præ alijs,  
quos hætenus viderim, dogma hoc tueri conatus est;  
sed ut ingenuè fatear, adeo perplexè, & obscure, ut  
nihil certi ex illius dictis percipere possimus. Quod

B

quam

Refutat opinionem  
contrariam

Eustachij Rudij



## 10 De vera Ratione Curandi

quàm verum sit, paucis ostendam.

Rudij  
sentētia  
de ve-  
nenata  
qualita-  
te.

De febre igitur pestilenti verba faciens, cum qua  
 et tumores hos, uti illius symptomata reponendos du-  
 xit, à definitione sic orditur. Febris pestilens est febris  
 pernicioſa ex venenatę rei putredine cor insigniter læ-  
 dente profecta. Primum igitur liquidò apparet, Cla-  
 rissimum Rudium unicam tantum causam internam  
 pestilentis febris in definitione constituere, nempe ve-  
 nenatam putredinem; Quam sententiam paulò inferius  
 comprobavit, ubi dixit, idem esse putredinem insignē,  
 excellentem, ac venenatam. Pagina verò 206. hæc  
 duo adeo inter se disiunxit, ut non amplius unica, sed  
 due inter se diuersę appareant esse causę februm pe-  
 stilentium. De prognostico. n. verba faciens, sic ad ver-  
 bum ait. Contingit aliquando, ut superata putredine  
 omnia symptomata deliteſcant, nihilominus egrotantes  
 pereant: quia licet euicta sit putredo, attamen pernicio-  
 sa qualitas superata non est, à qua in domanda putre-  
 dine natura labefactata facile concidit, ut mors sequa-  
 tur. Ex his verbis manifestè apparet, Rudium fateri,  
 posse venenatam qualitatem absq; putredine in corpo-  
 re permanere, quod quidem traditę definitioni omnino  
 repugnat. Adde quòd ubi de indicationibus curatiuis  
 verba facit, has duas causas adeo à se ipsis segregat, ut  
 de illius sententia minimè sit dubitandum. Cum huius  
 morbi (ait) proxima, et principales causę duę sint,  
 putredo, et venenata qualitas, ideo diuersa quoque  
 erunt remedia perscrutanda. Sed cum dixisset superius

Rudius



Rudius hæc non re, sed nomine tantum inter se differre insignis putredo, & Venenata putredo: ergo vel illud, vel istud falsum esse fateri cogetur, cum in presentia dicat hæc re ipsa inter se differre, & ita differre, ut remedia quoque diversa requirant. Præterea, cum ex illius verbis indagare vellem, qualis nam esset materia, & forma huius pestilentis veneni: non humores, sed fimum, nescio qualem, tandem agnovi, de cuius generatione à se ipso dissentire mihi videtur. Pag. enim 194. ita ad verbum ait. Necessarium est, ut in humano corpore aliqua materia reperiat, quæ putredinem ipsam & tempore, & ratione præcedat. Sed qualis nam ea sit, hoc in loco nondum expressit; Satis est, quod materiã hæc putredinem tempore præcedere statuerit. Pag. verò 200. mysteria hæc à nemine antea excogitata nobis patefacere volens, ita ait. Quare venenum ex ea tantum putredine oritur, quæ vehemens est, & ad huiusmodi corruptionem magis propinqua requiritur. Quis ergo non videt Rudium his verbis contrarium affirmare? nempe materiã hanc putredinem ipsam tempore non præcedere, sed ab ipsa potius originem suam habere. Mox verò nulla vel Hippocratis, vel Galeni auctoritate fretus, hanc materiã venenatam nobis patefacere voluit his verbis. Humor (ait) dum putrescit, & adhuc suam formam retinet, venenum non est, sed quando iam putruit, & propria forma deperdita, in speciem conuersus est humanæ nature penitus aduersam. Non enim simpliciter putridus hu-



mor venenum est, sed fimus illius, & inquinamen-  
 tum. Ecce materiam veneni pestilentis ex Rudij sen-  
 tentia, cuius formam sequentibus verbis exprimere  
 videtur, dum dicit: fimum hunc tyrannidem suam  
 minimè exercere posse, nisi ipsi nova accedat putredo,  
 ex cuius halitu cor noxam percipiat, & inde febris pe-  
 stilens subsequatur. Sed quocunq; se vertit Rudius,  
 coactus est fateri ex putredine pestilentem febrem or-  
 tum habere. Sed cur potius ex humorum putredine il-  
 lud contingat, ut nos asserimus, vel ex suo imagina-  
 rio fimo, ut ipse asserit, neque probat, neque unquam  
 confirmare ex probatis authoribus poterit. Nam pra-  
 terquam quod nonnulli negent, tantam posse in vi-  
 uente animali putredinem generari, ut in fimum, seu  
 cinerem humores abeant, uti in non viventibus con-  
 tingit; Nihilominus & à ratione omnino alienum esse  
 videtur, ut post adeo insignem putredinem, & abso-  
 lutam, requiratur ipsi fimo nova alia putredo ad ani-  
 mal interficiendum, cum prior per se ipsa sufficere va-  
 leat, & quotidiana nos docet experientia. Multa pra-  
 terea absurda ex hoc dogmate sequerentur; & primò  
 quod nunquam daretur febris pestilens à principio;  
 nec ipse potuisset incipientis illius febris signa nobis  
 proponere, cum ex illius sententia oporteat, ut prius  
 simplex putrida sequatur, quam humores in fi-  
 mum abeant: deinde tunc febris pestilens generaretur,  
 cum ipsi fimo nova accedat putredo; Quod quam fal-  
 sum sit unusquisque facile cognoscere poterit. Deinde  
 Bubones,



Bubones, & Carbunculi pestilentes agrotantibus conspicuntur, priusquam ex hoc imaginario fimo noua accedo putredo; Atque ab omni ratione alienum esse videtur, fimum hunc fluidam materiam habere, atque per venas permeare posse, pestilentesque has inflammationes generare: Galenus enim statuit non fimum, sed humores esse causas internas omnium inflammationum. Sed & illud minimè eius sententiam confirmare potest, dum ait, quòd si ex putredine tantum pestis oriretur, & vestimenta agrotantium putrescere deberent. Verba illius sunt hæc Pag. 199. quæ à doctissimo Valeriola desumpsit. Si enim putredinis actio esset, fomites, in quibus longissimo tempore habitus venenosi conseruantur, & ipsi putrescerent: cum putredo sit communis omnium mixtorum passio, et fomites hi putredini non admodum resistent. Cui breuiter sic respondemus; Et primò, solam materiam fimi hoc non prestare fassus est Rudius. Sed cum forma det esse rei, neque ullam aliam formam in medium nobis attulerit, nisi nouam putredinem, non possum non mirari, quòd cum actionem omnem ipsi putredini constituerit: nunc, relicta propria sententia, nouam formam statuere velit huius veneni pestilentis, cum superius ostensum à nobis fuerit inter nos nullam aliam esse differentiam, nisi quòd nos asserimus cum Hippocrate, & Galeno hos tumores nonnisi ab insigni humorum putredine prouenire, Rudius verò ex fimo, nescio quali, eoque putrescente. Ita quòd velit nolit, actio hæc

hæc



hæc sine putredine fieri nequit. Dein de cùm in Philo-  
pho respondemus, actiones nõ indifferenter fieri à quo-  
uis in quodlibet, sed ab agente analogo in subiectam  
materiam, aptam ad recipiendam impressionem agen-  
tis. Vltorius sequeretur, contagium scabiosorum, lepro-  
sorum, phthisicorum, & similia non à putredine, sed  
à venenata qualitate ortum habere; cùm fomites isto-  
rum egrotantium non putrescant: Quod tamen falsum  
esse, & ipse Rudius fateri cogetur. Neque interim ne-  
gamus hos fomites, sicuti & reliqua mixta putredini

Lib. 4. non esse obnoxia, sed ob communes causas ab Aristote-  
Metheo le propositas, & suo determinato tempore. Neque il-  
rorum. lud apparet esse magni momenti (quãdo dicit Rudius)

Galenus cùm tractasset de curatione omnium febrium  
in libris methodi, prætermisit pestilentes, quia non me-  
thodo rationali, sed potius empyrica tractari debeant;

Lib. 3. Sed unã cùm præclarissimo Augenio de Monte San-  
Epist. to, dùm hac de re disputat cùm Gerardo Columba, re-  
medici- nalium. spondemus, has quoque febres lib. 11. fuisse compre-  
hensas, cùm eo in libro de Curatione omnium putrida-  
rum sit loquutus. Sed videamus precor, quãdiu do-  
ctissimus Rudius in hac opinione permanserit. Pag. n.

209. vbi electiuè purgantia in peste minimè exhiben-  
da docet, ita inquit. Hæ siquidem materia quãuis  
veneni naturam sapiant, non tamen venena sunt, quia  
venena nunquã à natura domari queunt, sed solis  
antidotis superantur; hi autem succi à natura coctio-  
nem recipiunt, & sæpe ab ipsa sola vincuntur. Ex his

Rudij



Rudij verbis licet mihi sic ratiocinari. Quod à sola natura vinci potest non est venenatum. Succi pestilentes à sola natura vinci possunt, ergo non sunt venenati. Relictis igitur his ambagibus, cum Hippocrate, & Galeno verioris medicinae parentibus concludamus, unicam esse causam internam harum inflammationum, nempe insignem humorum putredinem, quam si quis ob illius malignitatem, venenatam appellare voluerit per me licebit, modo intelligat hæc inter se non re, sed nomine tantum differre; eisdemque remedijs profligandam esse, quibus & reliqui alij morbi, qui à putredine oriuntur: valentioribus tamen ob insignem illius malignitatem. Ad reliqua igitur pergamus.

Diximus in nostra definitione, putredinem hanc esse contagiosam, ut à reliquis alijs non pestilentibus pestilentes hæ inflammationes discernerentur. Statuit enim Galenus, & nos quotidie experimur, periculosum esse cum peste correptis versari. Et quamvis non inficiamur, nonnullos alios morbos esse contagiosos, nihilominus pestilens contagium sæuitia, ac celeritate longè alios superare, nemo est, qui negare ausus sit; Videretur que summè necessarium, ut hoc in loco de causis contagij aliqua in medium afferrem, sed quia brevitati studeo, & hæc fusius à doctissimis Medicis Hieronymo Fracastoreo, & Francisco Valeriola fuerunt pertractata, ideo hoc labore supersedendum esse censui; Per pauca tamen in medium afferam, quæ ad confirmandam superiorem disputationem summiopere mihi conducere

magis

ducere



No

Contagij  
cau-  
sa.

ducere videbuntur. Quidam Doctor Medicus, atq[ue]  
Philosophus insignis, in quibusdam disputationibus  
ante aliquot annos Rostochij editis, de causis contagij  
„ Verba faciens, ita inquit; Non est quod pluribus aga-  
„ mus, hoc solum scire oportet, omnem contagionem esse  
„ ex putredine. Diuiditur enim à re putrescente humor,  
„ aut vapor, qui in alio eiusdem speciei corpore similem  
„ gignit affectionem, quæ in re putrescente est. Non igitur  
„ mirum, si in eiusdem speciei corpora, quæ idem tem-  
„ peramentum habent, eiusdem generis putredo, & affe-  
„ ctio grassetur, atque transeat. Huc adde, quod corpora,  
„ quæ putredini, ea etiam pesti, & alijs morbis contagio-  
„ sis sunt magis obnoxia; Pestem enim, & alios mor-  
„ bos contagiosos causa putrefacientes antecedunt, ut  
„ exhalationes rerum putrescentium, austrina constitu-  
„ tio, & corrupta, atq[ue] pravi succi alimenta. Neq[ue] nega-  
„ ri potest phthisicis pulmonem putrescere, & pomum  
„ putridum contagione sua inficere aliud, quod attingit.  
„ Quod autem non omnis putredo sit contagiosa, euenit,  
„ quia non ab omni re putrescente expirat, aut resoluitur  
„ vapor, aut humor talis, ac tantus, qualis, & quantus  
„ requiritur ad contagium, sed per paucus, vel imbecillis,  
„ aut facile dissolubilis. Hactenus Medicus Germanus;  
cuius authoritas apud me plurimum valet, quia ra-  
tioni est consentanea, & à Galeni doctrina ne mini-  
mum quidem dissentit.  
„ Addidi in ipsa definitione, ob communem causam,  
„ ut à sporadicis, seu dispersis morbis pestilentes, &  
vulgares



vulgares segregarem. Constans est enim Hippocr. sententia lib. de natura humana, de flatibus, & in ijs, quos Epidemicos vocavit, cui & Galenus assentitur, pestilentes morbos, vti vulgares, à communi quoque causa originem ducere, sicuti sporadicos à particulari, & priuata. Neque interea negamus, ratione contagij aliquando pestem inter paucos reperiri, præsertim à principio, vt ea de causa potius priuatus, quàm communis morbus videatur; nihilominus, si quis rectè animaduertet, fateri cogetur, contagionis vim semper à publica, non autem à priuata causa initium suum habuisse. Reliqua, quæ in definitione posita sunt, qualitatem, & differentiam humorum inter Bubonem, & Carbunculum pestilentem statuunt, quæ quia clarissima sunt, & sine controuersia ab omnibus recipiuntur: ideo non est, quòd hac in parte longiùs progrediamur, sed ad alia transeundum videtur, quæ non minoris sunt speculationis.

Cùm superius in explicatione ipsius definitionis, causarum internarum abundè mentionem fecerimus; nunc tempestiuum videtur, vt de externis quoque, quæ hos pestilentes morbos excitare solent, fusiùs pertractemus. Theologi imprimis nobis se se offerunt, qui diuinis oraculis absque vlla hæsitacione acquiescunt, & vno ore fatentur omnes, Deum Opt. Max. scelera nostra, nisi tempestiuè, & ex animo penitentiam agamus, pestiferis morbis immissis, grauitè punire solere; Quod quidem ex lib. Regum facile probatur.

C

Dauidi

Cause  
externæ.



Dauidi enim, ob suum populi numerati peccatum, propositum fuit à Deo, ut vel famem septem annorum, vel infaustum bellum trium mensium, vel tandem pestem trium dierum eligere vellet. Ex quibus verbis facile colligitur, nullum diuinum flagellum cum peste conferendum esse. Sed Naturalia inquiramus nos.

Pestem, ac pestiferos morbos inter Epidemicos perniciosos ad differentiam Epidemicorum nõ perniciosorum recensuit Hippocrates; cumque à communi causa eos ortum habere statuisset, nihilque animantibus communius animaduverteret aere ipso, ex cuius inspiratione viuimus omnes: ideo loco citato de Natura humana, & alibi, ab ipso aere, uti ab omnium communiori causa, eiusmodi morbos originem habere statuit; cum videlicet vel secundum ipsius substantiam corrumpitur ob austrinam aliquam ipsius diuturnam constitutionem, aut ex tetrìs, & putridis vaporibus ad ipsum peruenientibus: vel ob singularem aliquam intemperiem, & potissimum calidam & humidam aer ipse alteratur; & hinc pro diuersitate putredinis, vel alterationis, diuersi quoque communes, & pestilentes morbi oriuntur. Quæ quidem sententia, etsi veram esse non inficiamur, nihilominus non de solo aere, sed etiam de cibis, & potibus prauis, qui facile corrumpi possunt, interpretanda erit: modo vniuersus populus talia comedere sit coactus, uti belli tempore potissimum in exercitibus, vel obsessis ciuitatibus contingere solet, quando milites, uel populus ob defectum annonæ semiputridos



putridos cibos comedere cogitur: vt optimè Galenus Hippocratis fidelissimus interpres annotauit cùm lib. de Cibis boni, & mali succi, tùm alibi; Quibus in locis inter alia testatur, exercitum peste fuisse infectum ob potum aquarum vitiosarum. Romæ quoque pestem, quæ ipsius tempore grassata est, aliundè ortum non habuisse fatetur, quàm ob annonæ charitate: & ideo inter causas communes, & hæc quoque recensenda erit, cùm eosdem affectus pariat, vt aer ipse, etsi adeo universalis non sit; Neq; enim Hippocrates aeri, uti communiori causæ Epidemicorum morborum, opponit vitium vniuersalem, vt ille causâ debeat esse sporadicorum morborum, sed de priuatis mentionem facit; vt vnusquisque animaduertere poterit; & ea de causa damnanda est Altimari, et aliorum sententia, qui statuunt, nullam aliam esse causam pestilentium morborum, nisi aerem ipsum.

Nonnulli quæerunt, an ex syderum quibusdam coniunctionibus pestis ortum habere possit nec ne? quæ quidem quæstio cùm maximis difficultatibus sit inuoluta, doctissimosq; patronos ab vtraq; parte habeat, sicuti vnusquisque animaduertere poterit ex præclarissima tractatu excellentiss. Herculis Saxonia de Plica Polonica, & ex lib. de pestilente febre Gerardi Columbæ Messanensis; ideo Astronomiæ studiosis quæstionem hanc grauissimam terminandam esse duxi. Hoc vnum dicam, quòd sicuti fatendum est, cælum, & sydera perpetuò suo motu, & lumine admirabiles suas vires

An Pueri Sicut  
affectus pestem  
infundant.



in hac inferiora corpora exercere, uti cum Aristotele Philosophi omnes consentiunt; ita meo iudicio affirmandum erit, pestem inde ortum non habere, nisi & in ipso aere, quemadmodum optimè sentit Auicennas, effectus putredinis, vel insignis alicuius intemperiei conspiciantur. Quod si isti mordicus contrariam sententiam retinere voluerint, sicuti Rudius affirmare videtur, ut ex solis aspectibus quorundam syderum pestis oriatur; necessarium erit, ut omnem præcauendi rationem è medio tollant, cum in nostra potestate minimè positum sit aspectum syderum immutare. Sed de hac questione satis in præsentia.

Superius demonstratum est, pestilentes hos morbos inter contagiosos recenseri debere; ideo & contagiõ ipsum inter causas externas recensendum erit: quod quidem adeo clandestinè in Ciuitates, ac Prouincias se se insinuare solet, ut nisi summa diligentia à Magistratu, & à Medicis ipsis adhibeatur in eo compescendo, et regiones multas inuadere aptum erit: Quod quidem ex varijs historijs facile comprobare possumus. Refert Cardanus in libris de Subtilitate, quòd in quadam villa, quæ vocatur la Chiarella propè Mediolanum, dum vetula quædam sepeliretur, inuenta fuerunt ab ea relietæ cistæ duæ, varia supellectili refertæ, quas cum aperuissent ij, qui aderant nimis curiosi, ex illorum prauo halitu egrotarunt, & paulò post obierunt. Cumque alij causam istorum interitus ignorarent, cum infirmis versantes, & ipsi egrotare cæperunt: adeo

plura ap. Boerha.  
§ 12

His Loria



adeo vt breuissimo temporis spatio aliquot Italiae Ciuitates desolarit. Testatur quoque Alexander Benedictus lib. de Peste, cap. 3. ex culcitra infecta, quae per septennium in aliquo loco inclusa fuerat, iterum Venetijs saeuissimam pestem ortam esse. Idem Trincauellius noster Iustinopoli ex simili causa contigisse commemorat. Pestis enim, quae ibidem ex aeris corruptela ceperat, ex fomite cuiusdam supellectilis relictæ, denuò recrudescere cepit, cum maximo illius Ciuitatis detrimento. Et pestis illa, quae anno 1576. Venetijs grassata est, aliunde initium non sumpsit, nisi ex supellectili, quae ex Tridentina peste eodem occultè allata fuerat: Quae quidè adeo seua fuit, vt ad septuaginta millia hominum in sola Ciuitate extinxerit, viciniore que Vrbes, & Patauium praesertim adeo suo contagio infecit, vt quàm plurimi ijs quoque in locis fuerint desiderati. Neque puto ego aliam fuisse causam, cur pestis illa Auenionensis, cuius mentionem facit Gordonijs, per totam ferè Europam fuerit disseminata, nisi mediante ipso contagio: Cum eo tempore Pontifex Romanus ibidem resideret, & ex omnibus partibus ad Aulam illam accurrebant. Non est igitur mirandum, si & mercem illam pestilentem ad suos quoque duxerint; Ea que de causa existimo ego, falsam esse sententiam illorum, qui originem illius vniuersalis pestis ob aspectum quorundam syderum cõtigisse arbitrati sunt. Sed ad rem nostram redeamus, & posteaquam causas tam internas, quàm externas pestilentium horum morbo-



morborem explicauimus, tempestiuum mihi videtur, ut de eorum signis agamus, ex quibus morbi hi tempestiue cognosci possint, & valeant.

Nihil est, quod artem medicam magis coniecturalem efficiat teste Galeno lib. 1. de locis affectis in principio, quam de signis morborum perscrutatio: Adeo enim quandoque incerta, & ambigua sensibus nostris sese offerunt, ut alius pro alio affectu, & à peritissimis Medicis haud raro accipiatur. Quod cum in ijs morbis, quos quotidie præ manibus habemus contingere animaduertamus, quid in pestilentibus euenire censendum est? Hi enim, & raro à nobis conspiciuntur, & ob contagij periculum ab eruditis Medicis vix contrectari solent, sed à vulgaribus Chyrurgis, uel ab indoctis Empiricis. Ideo minimè mirandum est, si anno 1576. Venetijs quàm plurimæ ortæ sint differentiæ inter clarissimos huius facultatis professores. Qui enim in Patavina Academia tunc temporis primum locum obtinebant, constanter asserebant: Eos tumores, qui à principio circa emunctoria conspiciebantur, non esse pestilentes, cum nulla pestilentis aeris constitutio ibidem conspiceretur. Alij verò contrarium affirmabant, asserentes à Tridentina peste, mediante contagio, Venetijs pestem fuisse allatam. Quod quidem & euentus demonstrauit illos melius hac de re existimasse: cum breuissimo temporis spatio contagij vis omnes ferè ciuitatis angulos occupasset; Cui quidem Patriæ calamitati semper interfui, neque sine lachrymis tot amicorum cadauera intueri potui.

N.  
 Autor talia sunt post  
 Ann. hanc 76.



ri potuit. Periculum ego faciam, ut pro Reipublicæ Christianæ salute, eiusmodi incommoda non amplius contingant; Namque ea signa in medium afferre conabor, ex quibus certiores esse possimus de natura horum pestilentium morborum: etsi nulla conspiciatur causa externa, quæ pestilentes hos affectus procreare solet. Sed et illud quoque emolumentum ex hac nostra contemplatione consequemur, ut quàm plurimæ difficultates, quæ circa curationem ipsam contingere solent, dilucidentur, et enodentur. Quòd si quid à me prætermissum fuerit, facilius deinde medicinae studiosi extremam manum adhibere, tractationemque hanc, non inanibus quæstionibus, sed proprijs observationibus illustrare, atque certiozem reddere poterunt.

Signa igitur pestilentium harum inflammationum, Signa vel sunt alijs non pestilentibus communia, vel harum magis propria. Bubonum communia sunt tumor cum renixu, dolore, & calore circa ipsa emunctoria, modo valida fuerit expultrix facultas in noxijs humoribus ab internis ad externas partes tradendis: aliàs mobilis ipse tumor circa initia se se tangentibus offert. Peculiariora porrò signa à grauioribus quibusdam symptomatibus erunt petenda, quæ non nisi pestilentes hosce tumores concomitari solent; & hæc potissimum sunt, Dolor capitis ingens, vigilia, sopores, deliria, convulsiones, animi deliquia, synepes, cordis palpitationes, nausea, vomitus, diarrhæa, hæmorrhagiæ, febres, & ut vno verbo cum Aetio dicam, symptomata omnia horum.

N.

sed postea natura eorum est uniformis et symptomata variat. Boerhaav. f. 67. 272

bubonum  
copia.

Propria  
bubonum  
pericula.



nia horrenda in peste apparere solent. Carbunculorum  
 verò signa magis particularia inferius tradentur, cum  
 de illorum curatione pertractabimus. Iam cum ipsa-  
 rum, de quibus mox agemus, inflammationum non ea-  
 dem sit ratio. Signa, quae eas inter se aliquo modo di-  
stinguant, ex vario ac diuerso motu humorum circa ea-  
rum generationem, & progressum omninò sumentur.  
 Quos ego motus, dilucidioris doctrinae gratia, quadri-  
 partiri, & in quatuor Classes, seu differentias distri-  
 buere volui. Quòd si quis huius generis plura, & pro  
 ipsa curatione utiliora obseruauerit, poterit ea medici-  
 nae studiosis communicare, ut certior tandem huius  
 saeuissimi morbi cognitio, & curatio tradi possit. Inte-  
 rim ab hac nostra contemplatione eos tumores excludi  
 uolo, qui vel ob nimiam magnitudinē ipsius putredi-  
 nis, vel ob aliquam aliam uehementem causam exter-  
 nam primo statim, vel altero die agrotantes è medio  
 tollere solent: Hi enim pro deploratis habendi erūt, cum  
 nullam ab arte medica opem habere possint.

**Prima**  
**Classis.** Prime igitur Classis, seu differentiae, quam morbo  
 isto laborantium facimus, agrotantes prima die inua-  
 sionis calorem quendam extraneum persentiscunt, ac si per  
 hypocaustum calidum pertransirent: qui tamen non diu  
 durat: Paulo post circa aliquod ex emunctorijs Bubo  
 excitatur, qui quidem ut plurimum sub digito mobilis  
 est ob facultatis expultricis imbecillitatem. Caput his  
 raro à principio morbi dolet: Siccitatem autem quan-  
 dam se percipere in ore significant, vinumque potius,  
 quam



quàm aquam appetere videntur. Quòd si eos cogas ad aeris splendorem oculos eleuare, periculum erit (quod & reliquis commune esse solet) ne inde in animi deliquium incidant ob spirituum animalium debilitatem. Sequenti die tumor ad interna retrocedere consuevit, ut neque ab egrotante, neque ab alijs iam digito sentiri possit, inde ob retrocessum materię morbificę ad interna viscera, grauiora in dies subsequuntur accidentia, ita vt diarrhęa tandem quinto die, vt plurimum, à morbi inuasiōe moriantur; nisi tempestiue, vt mox dicetur, illis succurratur.

Iam verò in illis, quos sub secunda Classe reponendos duxi, euidentiora signa conspiciuntur: Nam præter Bubonem eadem die excitatum, adest insignis capitis dolor, febris suboritur, & quandoque delirium. Die sequenti natura ab humorum pernicie excitata, per vomitum, & secessum se exonerare tentat, sed frustra: nisi per eiusmodi euacuationem subleuata, mox in maiorem molem tumorem adauxerit: Quòd quidem indicium erit, expultricem fuisse validam in pellendo noxios humores à centro ad circumferentiam. Quòd si (vt aliquando fit) vomitus niger cum virium imbecillitate accedat, tunc omninò symptomata, & inutilis erit huiusmodi euacuatio censenda, breuique temporis spatio & hi moriuntur, nisi prima ipsa die opera illis feramus.

Porro ijs, quos sub tertia Classe constituimus, à principio ingens totius corporis rigor superuenit cum ci-

eg. 26. symptom. Ho. 607.  
in propria familia hoc  
signum falsum vt  
compro. Sed potest  
semper alia atq. alia  
facie apparere Boeckel.  
fol. 1.

Secūda  
Classis.

Tertia  
Classis.

D

bi cu-

2



bi cuiuslibet appetentię deiectione, cum tamen vix ante tertiam diem Bubo se se prodat, is que sub digito mobilis: Deinde sequitur ingens capitis dolor, vomitus, virium prostratio, ac tandem miserrima mors. Illud tamen animadvertendum erit, quod si eadem die, qua rigor supervenerit, Bubo exoriatur, ut aliquando fieri solet, tunc de salute egrotantis non omnino desperandum erit, modo ijs remedijs, quę suo loco tradentur, tempestivę laboranti succurratur, atq; ista nature expulsio validis remedijs adiuvetur.

Quarta Classis. Quartę, & ultimę Classi ij annumerandi sunt, quibus à principio non Bubo, sed Carbunculus in aliqua externa corporis parte se prodit; cuius signa alia erunt. Pustula ab initio exoritur cum dolore vehementi, ardore, atque pruritu; Quę pustula etsi statim in superficie albi quidpiam habet, grani millij instar, cum circulo rubicundo, nihilominus circa diem quartam Bubo ab eodem latere in aliquo ex emunctorijs exoriri solet, atque albedo illa pustule in aquosum humorem vertitur, circuli que rubedo in atrum colorem, splendentis bituminis instar, ob atrę bilis affationem, mutatur; Hinc febris, quę prius non aderat, supervenit cum vigilijs, delirio, animi deliquio, syncope, & tandem inevitabilis mors sequitur, nisi à principio Anthracis, egrotantibus optimis remedijs succurramus.

Signa alia, quę ex pulsu, urina, & alijs excrementis sumi solent, & aliis morbis, qui à putredine humorum oriuntur communia esse consueverunt. In hoc verò morbo



morbo duo tantum ex pulsu utilia signa nobis se se offerre possunt, nempe robur virium, vel debilitatem: alterum, an cum his tumoribus sit adiuncta febris, necne. Vrinae verò in hoc affectu, vt plurimum subiugales, aqueae, seu ad nigredinem tendentes in morbi augmento potissimum conspiciuntur, quemadmodum obseruauit Hippocr. 3. Epidem. textu 61. Et haec omnium aliarum pessimae sunt. Quòd si subiugales calore ignis non clarescent, tunc de interitu aegrotantis certò praesagire poterimus. Quòd verò aliquando sanorum similes appareant, inde nonnulli argumentum sumunt non à putredine, sed à venenata qualitate illud prouenire, sed decipiuntur meo iudicio; nam si hoc esset verum, semper tales conspicerentur. Deinde statuunt isti venenatam hanc qualitatem perpetuò putredinem adiunctam habere, sicuti ex superiori disputatione aperte probauimus; Ideo alia quaerenda erit causa, nisi dicamus cum Galeno, quòd quando humores putridi in profundo non haerent, sicuti et febrem non accendunt, ita et urinas fore sanis similes existimandum est. Secus verò si putredo ad intimiores partes se se insinuauerit; Eruditiores nihilominus certiore, et euidentiore causam in medium afferre poterunt.

Sed quia eorum aegrotantium, quos sub quarta Classe reposuimus, inter reliquos duos nominatim Gratij Styriorum, dum Serenissimo Archiduci Carolo felicissimae memoriae inseruiebam, praemanibus habui: horum historiam hoc in loco breuiter, atque bona fide re-

Pulsus

Urina

Ab d venenata  
qualitate §. 66.

o Mercurij & folij  
maligian.

lulius Cas. Scaliger Exerc. 32  
pestilentia capitis accidit in-  
terdum: ut neq; urina, neq;  
pulsus differant à sanorum  
vel pulsu, vel urina: ppea  
quòd venenum certis, comper-  
tisq; qualitatibus nondum in  
cor fecerit impressionem.

Histo-  
ria,

fol. 31.



28 De vera Ratione Curandi

censere decreui, ex qua multa scitu digna medicina studiosi addiscere poterunt: Et praesertim quam caute sit procedendum cum huiusmodi aegrotantibus, Et quam sincerè cum Magistratu sit agendum, ut tempestivè maioribus periculis obviam ire possit, ne Civitas, vel Prouincia aliquod insigne damnum patiatur.

Anno igitur 1585. Iuueni cuidam Italo ex intimis cubicularijs Illustrissimi, atq; Reuerendissimi Nuntij Caligarij Episcopi Bertinoriensis, ex improviso superuenit Carbunculus propè genu sinistrum, cum tamen ipse existimaret esse pustulam scabiosam: Mirum dictu, ad quartum vsq; diem absq; febre, Et alijs grauioribus symptomatibus permansit: Interim ab eodem latere Bubo circa inguen se prodit, quem febris, capitis dolor, Et nonnulla alia symptomata concomitata sunt. Ad hunc vocatus ab Aula praefecto, in itinere de ipsius morbi qualitate ab illo coepi sciscitari, cumq; eadè narrasset, quae superius commemoravi, de morbi pestilentis natura, et si nulla tunc temporis in Civitate pestis grassaretur, cogitare coepi; eaq; de causa egrotantis cubiculum ingredi recusato, sed ut inde exeat iubeo: Faciem illius inspicio, quae omnino rubicunda erat, oculi accenssi, Et qui aeris lucidioris splendorem minimè ferre possent. Cumq; tumores mihi ostendisset, ex signis superius recensitis liberè pronuntio hos tumores esse malignos, pestilentes, Et contagiosos, debereq; prohibere Illustrissimum Nuntium, ne liberè alij ministri in cubiculū illud ingrederentur; sed alicui illorum curam

egrotan-



ægrotantis committeret. Quòd quidem summopere totam illam aulam perterrefecit; etsi nonnulli parum fidei verbis meis præbuisissent. Rumor igitur iste statim ad Serenissimum Archiducem peruenit: Inde orta fuit inter nos Archiduciales Medicos de natura istius morbi controuersia. Alij enim affirmabant eos tumores non posse esse pestilentes, cum libera esset Ciuitas ab isto morbo, sed potius esse Gallicos. Ego uerò contrarium assereram, & inter alia recordor me illis dixisse, quòd si quis eorum uoluisset apud ægrotantem pernoctare, me illi daturum centum coronatos. Interim ægrotus altera die cepit delirare, atq; uehementer debilitari: tunc Illustriss. Nuntius uti vir doctissimus, et ingeniosissimus mihi potius, quàm alijs fidem adhibere uoluit; & confestim ad quoddam Monasterium extra Ciuitatē se contulit, ut contagij periculum euitaret; Ægrotus uerò iussu Serenissimi Archiducis ad publicū Hospitale, his infirmis extra urbem destinatum, ducitur, ubi à Stipendiario illius loci Chyrurgo, quem Magistrum sanitatis uocant, pestilenti morbo correptus esse iudicatur, & die nona moritur. Frater uerò, qui illi assidebat, & pro sacellano Reuerendissimo Nuntio inserviebat, paulò post eodem morbo ægrotare cœpit: qui eadem die, qua pustulam exortam inspexit, è fenestris de recuperanda sanitate non sine lacrymis à me consilium petiit, ex quo tandem conualuit, ijs adhibitis remedijs, quæ inferius tradentur. Tunc Serenissimus Archidux iussit, ut de huius morbi origine fieret diligens

gens



gens inquisitio, nam breui temporis spatio ad nonnul-  
 los alios contagij vis peruenerat; Et inuenimus quen-  
 dam italum, qui ex Pragensi peste, quæ tunc temporis  
 ibidem grassabatur, clam se subduxerat, cum illo iuue-  
 ne, qui mortuus est, in eodem cubiculo dormiisse; atq;  
 inde illum miserum per contactum vestimentorum  
 pestilentem morbum contraxisse. Sed statim dicet ali-  
 quis, quomodo & ille prior ab iisdem vestimentis non  
 fuit correptus? respondet Galenus, quia differt corpus  
 à corpore, & temperamentum à temperamento. Ex  
 hac duorum egrotantium historia, illud imprimis ad-  
 discendum est, quòd etsi causæ vniuersales, quæ pe-  
 stem precedere solent, plurimum conferant ad pesti-  
 lentium morborum cognitionem, nihilominus quia ali-  
 quando mediante contagio pestis initium habere solet:  
 ideo ex ijs signis, quæ à nobis proposita sunt, quæ que  
 verè pathognomonica nuncupare possumus, liceat de  
 horum pestilentium affectuum præsentia liberè pro-  
 nuntiare; Interim non negantes, quædam in aliquo in-  
 diuiduo mutari posse ratione ætatis, temperamenti, sta-  
 tus Cæli, & similiarum externarum causarum: cum tamè  
 ista vniuersalem cognitionem minimè infringere apta  
 sint. Sed quia diximus, hos tumores quandoque sine  
 ulla febre conspici, præsertim à principio inuasionis,  
 discutiendum videtur, an hoc verum sit, necne. Ego  
 authoribus Hippocr. & Galeno, aliisque Clarissimis vi-  
 ris, testeq; ipsamet experientia constanter affirmo, tu-  
 moribus istis non perpetuò comitem adesse febrem; in-

An fe-  
 bris per  
 petuò  
 sit co-  
 m:is.

fig 15



signis est locus Hippocr. 3. Epidem. sect. 3. textu 25. &  
 ¶ 28. ubi ita planè ait; Quorum ergo caput horum  
 aliquid tētavit, (de pestilenti morbo ibidem loquitur,) &  
 his caput totum glabrescebat, & mentum, ossa q̄; de-  
 nudabantur, decidebant q̄; multæ q̄; extiterunt fluxio-  
 nes; his aliquando adiuncta, aliquando nō erat febris;  
 cuius rei reddens ibidem rationem Galenus ait. peiora  
 erant in quibus in profundum secesserat humor, ignem  
 & sacrum efficiens: cum enim in viscera, & in principes  
 partes se conferret humor, præter alia symptomata, fe-  
 bres etiam acutas generabat: Quibusdam tamen, qui-  
 bus in superficie erat eiusmodi putredo, partes etiam  
 citra febrem marcescebant. Simili modo Hippocr. ver-  
 ba interpretatus est Franciscus Vallesius in suis do-  
 ctissimis Commentariis, ut de Hippocr. & Galeni sen-  
 tentia minimè sit ambigendum. Et ideo Galenus ipse  
 lib. de simpl. med. facult. in peste, ubi febris non sit  
 adiuncta, bolum armenam vino dilutam: Quòd ubi  
 adest febris, sine vino exhibendam iubet. Clarissimus  
 tamen Mercurialis, qui cum aliis multis hos quoq̄; tu-  
 mores sub genere febrium reponere uoluit, cum alio mo-  
 do non posset euadere, interpretatus est illa verba, si-  
 ne febre, id est sine febre cōspicua: Quam interpretatio-  
 nem cum apertissimis Galeni verbis, & rationibus re-  
 pugnet, meritò reiiciendam esse duximus. Nostræ au-  
 tem sententiæ quàm plurimos habemus fautores, inter  
 quos Arnaldum Villanouanum, Cornelium Gemmam,  
 Comitem Montanū Vicentinum, Alexandrum Mas-  
 sariam.

Contra Mer-  
 curialium



sariam, Hieronymū Capiuacceum, Petrum Forestum,  
 & alios. Idem fateri coacti sunt Rudius, Paræus, &  
 Æneas Caprilius, qui lib. de febribus putridis pag.  
 245. quærens an Bubone apparente vena sit secanda,  
 » ita ad verbum ait. Cùm fieri possit, vt Bubones ante  
 » diem tertiam appareant, deinde febris &c. Paræus  
 quoq; de Prognostico verba faciens tract. suo de pe-  
 » ste, cap. 17. ita ait, Bubonem precedere antequàm fe-  
 » bris veniat, salutare est. Quibus verbis conuincuntur  
 erroris quotquot hætenus sub genere febris pestilentis  
 hos tumores quoque reposuerunt. Si enim hi Bubones  
 erumpere possunt ante febrem, vti & præclarissimus  
 Augenius de Monte Sancto testatus est in suo libello  
 de vera ratione se præseruandi à peste, non video quo-  
 modo hi tumores inter symptomata ipsius febris recen-  
 sendi sint, nulla adhuc existente febre, cū propriū sym-  
 ptomatis sit, vt morbum sequatur, vti vmbra corpus.  
 Et ne quis putet aliter se habere de Carbunculis, au-  
 diamus Arnaldum Villanouanum inter Medicos sui  
 temporis præstantissimum; is enim de pestilenti Car-  
 bunculo verba faciens lib. 3. cap. 22. ita ad verbum  
 » ait. Si vis scire, an patiens ab Anthrace debeat liberari,  
 » necne: Si non febricitat, da illi modicum theriacæ cum  
 » vino &c. Ex his vnusquisq; colligere poterit, non esse  
 mirandum, si circa curationem quàm plurimi errores  
 committantur ab illis, qui hos tumores inter sympto-  
 mata ipsius pestilentis febris reponere voluerunt.  
 Morbi enim inter se dissimiles sunt, & dissimiles  
 quoque.

supra f. 4.



quoque indicationes curatiuas ex ipsis hauriendas esse semper sum arbitratus; Quod inde quoque comprobare licet; nam sæpissime, Venetijs potissimum, grassari solet febris lenticularis, vel peticularis (ut vocant,) nihilominus neque Medicis prohibetur egrotantes visitare, neque commercium interdicitur. Sed cum primum incipiunt apparere isti tumores, tunc domus egrotantium clauduntur, & non solum Medicis, sed et alijs prohibetur capitali pœna, ne tales egrotantes visitent. Quod quidem indicium est, hunc morbum simplici febre pestilenti esse magis contagiosum, perniciosum, ac formidabile. Sed de signis horum pestilentium tumorum satis in præsentia: Hoc unicum addam, quod si peticulæ in ipsa cute, maiores tamen, quam quæ in simplici febre pestilenti conspiciuntur, eruperint, tunc de illorum præsentia malignitate, atque seuitia minimè amplius ambigendum erit.

Ex his, quæ hætenus dicta sunt, unusquisque hæud **Progno-**  
 difficulter colligere poterit, has inflammationes inter **sticum.**  
 malignos, et peracutos morbos esse reponendas. Quàm-  
 plurimi enim ante septimam diem, nonnulli et ante  
 quartam, sicuti testatur Clarissimus Hieronymus Fa-  
 bricius ab aqua pendente, cui et aliorum quoque expe-  
 rientia suffragatur; ut minimè sit mirandum, si eo in  
 loco intactam ferè reliquerit horum tumorum curatio-  
 nem. Iam quod Carbunculi vehementius exitium mi-  
 nentur, testatum nobis reliquit Galenus, & cum eo  
 Medici omnes: Ex bile enim præassata, quæ omnium

E aliorum



aliorum humorum succus deterrimus est, ortum suum habere docent; & nisi quis tempestive eorum incendium extinxerit, periculum imminet, ne ad viciniores partes putredo ipsa serpat, & ut Hippocr. testatur in Epidemijs, ad ossa usque perueniat. Quod verò hi periculosiores sint, qui circa oculos, fauces, cordis regionem, vel aliquam aliam particulam exquisito sensu præditam exoriuntur, nemo est, qui ambigere debeat. Qui verò atrioris sunt coloris, cum à maiori humorum incendio orientur, præ alijs seniores semper habiti sunt. Putant aliqui, quò plures Bubones, vel Carbunculi, eò illos minus periculosos fore, & de egrotantium salute minimè esse timendum; Ideo què admodum testatur Excellentiss. Trincauellius noster in suo de pestilenti febre, opusculo, Turcæ melius cum suis ægrotantibus agi credunt, cum plures, quàm cum parciore extiterit tumores. Secus verò sentit Iulianus Palmarius Gallus lib. de morbis contagiosis: putat enim ille, quò plures extiterint, eò magis de salute ægrotantium desperandum esse. Ex diuturna tamen observatione nonnulli alij, quibus libenter assentior, veriore esse Trincauellii sententiam statuunt, modo ita intelligatur, ut alius post alium, nonnullo interiecto temporis spatio, exoriatur. Si verò ab ortu primi post tres, vel quatuor dies, alij se se prodant, tunc pro inutili, & symptomatica illam expulsionem habendam esse sæpissime observatum est, præsertim viribus infirmis existentibus. Iam verò quòd infantes, mulieres prægnantes, senes, ac pusillanimes citius

Quis & bubon  
& carbunculorū  
multitudine

Contra Trincau-  
vellij & Palmarij

citius



citius alijs pereant, nemo est qui dubitet. Putant aliqui eos à peste immunes fore, qui morbo Gallico laborant, sicuti & illos, qui alio tempore ea correpti fuerint; Sed ex peste Veneta istos non rectè sentire oculis meis inspexi. Ceterum huic, de prognosticis signis, parti accommodari poterunt, quæ à Divino Hippocr. prodita sunt, cum in lib. Prognosticorum, tum alibi: ubi docet rationem præfagiendi in morbis acutis: Quæ, non videtur necessarium, huc ambitiosè trāscribere, cum Medicis omnibus hæc perspecta esse non dubitem; itaque ad curationem iam accedere oportet.

Sicuti Empyrici non nisi ex quibusdam observationibus, quas ut plurimum fallaces esse compertum est, hanc quoque curationem se assequi posse, temere arbitrantur; ita ex aduerso Medici rationales, ex ipsa rei natura indicationibus sumptis, pestilentium horum tumorū curationē tradi posse non dubitant. Neq; interim sufficit scire per contraria esse vel calefaciendum, vel refrigerandum, sed ut optimè nos docuit Galenus lib. primo ad Glauconem, cap. 1. requiritur determinata qualitas ipsi affectui opposita, necnon quātitas, utendi modus, et tempus. Hoc enim scire oportet Medicū rationalem, si ex arte, non autem casu, morbos curare voluerit; et ideo nonnullorum sententiam probare non possum, qui indicantis naturam sine ratiocinio esse statuunt. In quibus ergo differret Empyricus à rationali Medico, si indicationes essent sine ratiocinatione? Hoc enim affirmare, est, ac si quis diceret, rationale,

E 2 et irra-

An Gallico morbo  
laborantis sint  
à peste immu-  
nes.

Indica-  
tiones  
curati-  
uæ,

In d. Animum  
cond. hanc



& irrationale hominem & bouem idem esse, Quod est  
 omnino absurdum. Sed de his dabitur aliquando occa-  
 sio differendi. Dicamus igitur quod etsi Galenus in  
 lib. Meth. indicationes varias proposuerit, nonnulli ta-  
 men viri docti ad tres precipuas redigere voluerunt,  
 quarum mentionem facit Gal. lib. 10. Meth. vt vna  
 earum sit, quæ à morbo ipso: altera quæ à causa effi-  
 ciente: & tertia, quæ à viribus sumi solet; ita vt prior  
 propriè curatiua nuncupetur, secunda preseruatiua, &  
 tertia vitalis. Quam quidem doctrinam, & nos hoc  
 in loco sequi decreuimus, minimè inuicem reliquas  
 alias omnino negligentes, quæ ab ætate, temperamen-  
 to, partis laborantis natura, Cæli statu, consuetudine,  
 & his similibus sumi solent, quarum omnium ijs in li-  
 bris mentionem facit Galenus. His igitur ita se haben-  
 tibus, cum Medicis Doctõribus iam compertum sit  
 Gal. lib. de diff. morborum, et alibi, huiusmodi inflam-  
 mationes, modo sua magnitudine actionem nõ vitient,  
 sub genere morborum intemperiei cum affluxu humorum  
 reposuisse: igitur à morbi ipsius essentia hi nobis insur-  
 gent scopi curatiui, nempe vt calida eorum intemperies  
 contrarijs corrigatur, materia verò ibidem contenta  
 sensibiliter, si fieri potest, euacuetur; Cum q; post il-  
 lius euacuationem, morbus vlcis cavi, & sordidi na-  
 turam induat: ideo aliæ insurgent nobis curatiua indi-  
 cationes, nempe vt vlcus à pure mundemus, carne re-  
 pleamus, & tandem ad cicatricem deducamus. Cate-  
 rum quia à causa interna, quam practici antecedentem  
 vocant,

Caput. Cavet.  
 Campolug. a.

Indicatio à  
 morbo

à morbo



Vocant, eiusmodi inflammationes foueri non dubitamus; ideo ex methodo resolutiua, cuius mentionem facit Gal. lib. 11. Meth. ut quod ultimum est in inuentione, in curatione primum locum obtineat: ea prius erit profliganda, deinde ad morbi curationem deueniemus, cum morbi non curentur, nisi causis illos generantibus prius ablati. Hanc doctrinam didicimus ex lib. artis med. cap. 84. & 8. Meth. med. cap. 4. vbi aperte Galenus ait, ut vnamquamq; morborum causam prius rescindamus, deinde ad eam, quæ facta est, ægritudinem accedamus. Sed quia sine virium robore morbi non curantur, ideo earum perpetuò erit habenda ratio, ut si constantes fuerint, in suo statu seruentur, si verò imbecilles, refocillentur. Quòd si cum his tumoribus vel febris, vel aliquod aliud graue symptoma coniunctum fuerit, illius quoq; rationem habendam esse non dubitamus, vbi causæ locum sortitur; cum symptoma, qua symptoma est, ut ex Gal. didicimus, curationis rationem non indicet. Quibus verò medijs nos scopis his satisfacere arte medica valeamus, breuiter hic commemorabo.

Tria sunt instrumenta medica, quibus morbi omnes, qui à materia pendent, superari solent: nempe Chyrurgia, Pharmacia, & Dieta Cumq; à doctissimis quibusdam nostræ ætatis Medicis vsitatum sit, ut circa particularium morborum curationem à Chyrurgicis præsijs initium sumant; vestigijs illorum & nos insistentes, indagabimus primum, an conueniat, necne

a viribus

a Symptomatibus  
urgentibus

Chyrurgia

Böhm.  
4. 79  
sep.

T

necne



necne sanguinis missio: deinde quo tempore sit admini-  
stranda, mox quantum, & ex qua vena sanguis sit  
mittendus; Quibus *et* ordine, *et* breuiter declaratis,  
vtiliorem, ni fallor, *et* abstrusioem huius curationis  
partem me absoluisse existimabo.

An con-  
ueniat  
sanguis  
missio.

Nos tenere  
de tenentia  
vide Plater.  
de febr. f. 225

Negative

Affirmatiue

Putant aliqui non postremæ authoritatis Medici  
à venæ sectione in hoc pestilenti morbo omnino absti-  
nendum esse: Gabriel enim Fallopius Medicus, atq̃s  
anatomicus celeberrimus, proprio tractatu de pestilen-  
ti Bubone, viribus omnibus cõtendit, nunquam in hoc  
affectu venam esse aperiẽdam; Quam sententiã præ-  
cipuè ex eorum relatione confirmare visus est, qui tem-  
pore illius pestis, quæ in Italia circa annum 1528.  
grassata est, interfuere: Testantur enim Medici, qui  
tunc temporis aderant, neminem ferè ex venæ sectio-  
ne sanitati fuisse restitutum; idque ob repentinum vi-  
rium lapsum, cum tamen multi absque venæ sectione  
liberati fuerint. Contrarium nihilominus sentiunt  
quàm plurimi huius facultatis professores, inter quos in  
presentia nominare volo Alexandrum Benedictum,  
Nicolaum Massam, Trincauellium, Massariam,  
Paræum, Petrum Forestum, Hollerium, *et* alios, qui  
in hac facultate plurima accuratissimè obseruarunt;  
Hi enim liberè testantur ex hoc solo presidio tempesti-  
uè adhibito, plurimos eiusmodi morbo laborante s sani-  
tati fuisse restitutos. Quare si authoritate, *et* expe-  
rientia certandum erit, de sede deponendi erunt ij, qui  
cum Fallopio contrariam sententiam defendere conati  
sunt,



sunt. Sed ratio quoque in medium adduci potest; Sententia est Gal. lib. 4. Meth. med. cap. 6. cui & Fallopius ad stipulatur, scopum sanguinis mittendi esse morbi magnitudinem cum virium robore. Hæc sunt ipsius verba. Si verò alicuius morbi magnitudo affligat unà cum virium robore, vel si redundantis sanguinis concursus non adsit, nemo est, qui sanguinem non detrahat; Quam quidem sententiam non modo clarissimus Massaria, & Fabius Paccius approbarunt, sed & doctissimus Rudius noster in principio lib. 3. qui est de febris; Et hæc quidem de ijs morbis, qui à materia generantur, vel fouentur interpretanda est. Cùm igitur hi tumores à materia, eaque sanguinea generentur, merito venæ sectionem eos admittere non dubitamus. Fallopius verò etsi ratione scopi indicantis à Galeno propositi, sanguinem mittendum esse consentiat, negat tamen, vires, quæ in hoc morbo citissimè labuntur, hoc præsidium ferre posse: Quam quidem in re vehementer, meo iudicio, hallucinatus est. Cōstanter enim negamus, omnibus ægotantibus à principio inuasionis vires adeò infirmas esse, ut venæ sectionem non admittant; id enim falsum esse, multiplici experientia adducti, viri docti scriptis mandarunt. Quòd si tempore illius pestis Venetæ ex venæ sectione nullum iuuamen ægotantes sentiebant, illud fortasse contigit, vel quia hoc præsidium intempestiuè adhibebatur, vel non seruatis ijs, quæ à nobis inferius tradentur. Idem contingere solet in alijs præclarissimis medicamentis, quæ si suo tempore non

Refutat Fallopius.



re non exhibentur, damnum potius, quàm beneficium inferre solent, sicuti de Theriaca testatus est Gal. quæ si ante humorum coctionem exhibeatur, ex simplici duplicè quartanã facit; Imò Villanouanus testatur in principio libri de Venenis, aliquos ex illius exhibitione fuisse necatos. Interim tamen non negamus aliquos reperiri, quos sub tertia Classe reposuimus, qui nullo modo venæ sectionem admittunt, vel ob insignem eorum cacochymiam, ob quam, accedente adhuc pestilenti putredine, statim à principio vires illorum concidant; vel quia pernicioosa putredo ad intimiores cordis sinus adeò se insinuat, ut confestim, vel paulò post vires labantur; ut non mirum si ratione contra indicantis venæ sectio ijs minimè competat. Quòd verò aliqui arbitrentur unà cum præclarissimo Heurnio, ea de causa venæ sectionem non conuenire, ne venenum à partibus externis ad interna trahatur: iam superius ostendimus, has esse meras nugas de venenata hac qualitate, cum hos tumores non nisi ab insigni putredine prouenire cum Galeno docuimus. Itaque non secus, atque alijs morbis, qui à putredine oriuntur, venæ sectionem hic conuenire, modo tempestiuè administratur, cum viris doctis omnino statuo: Presertim cum hanc sententiam propria experientia veram esse multoties compererim.

In tertia classe  
non firmi  
venæ sectionem  
videt fol. 24.

An venæ sectionem  
Venenis ab ex-  
terioribus rebus,  
habet ad inter-  
iora.

R. D.

Quando sic vena aperienda. De tempore verò secandæ venæ conueniunt inter se authores celebriores, nempe ut (cum alijs præsiidijs sit præmittenda) eadem die, qua egrotare incipiunt, vena



vena aperiatur, imò Petrus Forestus (quod tamen omnino mihi non satisfacit) sex horarum spatium tantummodo ab ipsa inuasionem ad venæ sectionem statuit: Quis enim tam breui temporis spatio exactè naturam huius morbi cognoscere potest? sed concedamus ut cognoscat. Hippocr. in morbis acutis adeò breue tempus præsidiorum non constituit, sed eadem die medendum esse protulit; Vt cunq̃ue tamen sit, celeritatem præsidij non damnamus: morbus enim iste citissimè vires suas in corpore nostro exercet, ideò nullas præbet inducias, & ideò quàm citius poterimus, ad hoc præsidium diueniendum esse consulo. Verum quia ex eodem Hippocrate didicimus, Medicum, uti nature ministrum, illius motum perpetuò obseruare debere, ut sciat, quinàm fuerit vel iuuandus, vel impediendus; ideò in hac curatione sic incedendum esse puto; Vt ijs, quos sub quarta Classe reposuimus, nempe Carbunculis laborantibus, ex Galeno & omnium probatorum authorum sententia, eadem die vena aperiatur: modò vires, & ætas consentiant. Idem faciendum esse censeo cum illis, quos sub secunda Classe reposuimus, ut hoc modo impetum humorum, qui ad caput feruntur cum delirij periculo, quàm citissimè reuellamus, at que vnà febrilem calorem per accidens contemperemus. In ijs verò, quos sub prima Classe reposuimus, venæ sectio administrari non debet, nisi sumpto prius sudorifico medicamento, ne motus nature impediatur, qui à centro ad circumferentiam noxios humo-

F res

In eda ut  
 In classe 2da  
 cum secunda  
 quod improbat Platoni  
 & febrib. f. 230

In prima classe anti  
 phlogisticam faco  
 videri a seculo



res expellere tentat. Et hanc nostram sententiam fusius confirmabimus, cum de pharmaceuticis presidijs mentionem faciemus. Reliquos verò, quos sub tertia Classe constituimus, ob virium lapsum, vel presentem, vel mox futurum, venę sectionem non admittere, diuturna experientia comprobatum est.

3  
4  
Locus,  
et quan-  
titas.

Quę verò vena sit secanda, & ex qua parte sanguis sit mittendus, conueniunt inter se celebriores aucthores: nempe, si vel ad aures, vel sub alis Bubo oriatur, vena brachij eiusdem lateris, vel ipsius manus, si vires non adeò valide fuerint, erit aperienda. Si verò in inguine, vena pedis erit scindenda; Quòd si ab utraque parte Bubo prodierit, ab utraq; quoq; parte sanguinem detrahemus; ita ut virium perpetuò sit habenda ratio, ut tantò sanguinis detrahamus, quantum coniectura assequi poterimus posse egrum impetum morbi vsque ad finem sustinere.

Cucurbitulę  
fangui-  
sugę, et  
crurum  
scarifica-  
tio.

Quòd si vel vires, vel etas hoc presidium prohibuerint (Galenus nãque 11. & 12. Meth., dicant alijs quicquid velint, pueros ante decimum annum propter etatem perpetuò à uenę sectione arcendos esse docet) cucurbitulis scarificatis, vel sanguisugis iisdem in locis uti poterimus: has enim sectiones uenę uicarias appellauit Auicennas. Laudatur quoque à preclarissimo Alexandro Massaria crurium profundior incisio ab Oribasio commendata, quemadmodum fœlici cum successu aliquando Chyrurgum quendam Turcicum usum fuisse testatus est Ioannes Iacobus Mannius in suo de Malleo-



Bubonis, & Carbunc. Pest. 43

Malleolorum sectione opusculo; Cuius uerba, hoc in loco, quia magnam utilitatem medicina studiosis afferre possunt, transcribere non grauabor. Chyrurgus, inquit, Turcicus aquam calidam afferrī iussit, cūm panno calido fricabat, fouebat, & in eandem aquam crura imponebat, quæ mox uinciebat, sub genu incidebat, multas affigens scarificationes, ut numerum quadragenarium excederent, per longum incidebat, incisiones autem erant magnitudine, ordine, & situ æquales. Ab inferioribus initium sumebat, super incisiones verò aquam tepidam manibus affundebat, ac sanguinē incisionem obscurantem continuò ferramenti parte crassiore, quod apud eos aptissimum est, detergebat, ut deterso confestim alius succederet: Singulis vicibus ad unciam ex- tergebat, ita ut ad tres libras sanguinis summa cūm dexteritate in Bubone pestilenti citissimè, ac sine dolore extraheret: modicum tamen farinae triticae super vulnuscula imponebat. Alij gossipium sine farina imponunt. Hactenus Mannius. Quod quidem intelligendum est, hoc praesidium ijs esse administrandum, qui tantam euacuationem ferre possint. De reliquis verò Chyrurgicis auxilijs, quæ in hoc morbo administrari solent, cūm ad localem curationem perueniemus, sermone habebimus: Hæc enim, quæ nunc in medium attulimus, non nisi internam causam respiciunt: Qua superata, facilius deinde, & morbus ipse profligabitur. Nunc tempestiuum videtur, ut de altero praesidio Medico, nempe de ipsa Pharmacia, verba faciamus.



Pharma  
cia.

Haëtenus, ni fallor, aduersus causam internam harum inflammationum, singulari Chyrurgia præsidio pugnauimus: Nunc de ipsa pharmacia agendum erit, sub qua non modo ea medicamenta comprehendimus, quæ vim aliquam habent putridos, ac perniciosos humores, siue per secessum, siue per alias vias expurgandi, (prout fieri debere à natura nobis indicabitur,) sed & reliqua omnia, quæ vim habent semiputridos humores alterandi, & concoquendi, vel principes partes, at que cor ipsum imprimis tam internis, quam externis medicamentis roborandi.

An con-  
ueniant  
sudori-  
fica in  
princi-  
pio.

Affirmat

Sed illud imprimis discutiendum videtur, an principio huius morbi vti sudorificis conueniat ad motum naturæ adiuuandum in ijs, quos sub prima, & tertia Classe reposuimus. Nonnulli enim grauissimi Viri ab his abstinendum esse putant, ne humores crudi ante coctionem moueantur contra Hippocr. & Galeni placita, qui in Aphorismis Statuunt, concocta esse medicanda, non cruda, nisi materia turgeat. Verum aliter in hoc casu faciendum esse puto; Quam sententiam varijs argumentis comprobare possum; & primum quòd nec frustra, nec temere tam copiosam medicamentorum syluam ad hunc morbum profligandum, inuentam fuisse arbitrandum est: at que in hoc affectu quotquot sudorifica proponunt, ea à principio exhibenda docent: Quod non facerent, nisi multiplici experientia comprobassent, inde magnam vtilitatem ægotantes percepisse; At que in hoc morbo nisi à principio exhibuerimus, & coctionis

nis



nis tempus expectare voluerimus, natura à nobis sola in pugna derelicta, succumbet, & nos sine vlla utilitate in ijs exhibendis laborabimus. Deinde ab Hippocrate didicimus in eisdem Aphorismis, ut à principio, si quid mouendum videtur, moueamus. Cum igitur in propositis aegrotantibus obseruatum sit, naturam ab initio ab internis ad externa noxios humores protrudere velle, non dubitamus asserere motum hunc naturæ imbecillum sudorificis medicamentis esse quoque à principio adiuuandum. Præterea & cum eodemmet Hippocrate dicimus, humores esse educendos, quò natura expellere tentat. Ideo motum hunc naturæ, ut quæ à nobilioribus ad ignobiliores partes pestilentes humores expellere conatur, adiuuandum esse non dubitamus; Quòd si dixerint, Hippocratis sententiam de motu critico, qui non nisi post coctionem fieri solet, esse intelligendam, non autem de symptomatico. Nos cum doctissimis Trincauellio, & Vallesio possumus respondere tres motus in morbis aliquando contingere posse: unum omnino symptomaticum, alterum criticum, tertium, qui medium locum inter utrumq; tenet; huncq; adiuuari debere pluribus argumentis contendunt. Vltèrius aphorismum Hippocratis nonnulli docti viri interpretantur, ut illius sententia interpretanda sit non modo de turgenti, sed & de vrgenti materia; cumque in pestilenti hoc morbo ea talis sit, ideo & hanc quoque statim à principio nulla expectata humorum coctione, è corpore extrudendam esse dicunt. Sed quia  
 Excel-

Tres motus in morbis.



Excellentissimo Ioāni Baptistæ Siluatico Medico Me-  
 diolanensi hæc argumenta non satisfaciunt, excogitavi  
 ego, quonam pacto Hippocratis authoritati respondere  
 possimus. Nemini dubium est, ea de causa Hippoc. ma-  
 teriam turgentem, quàmuis crudam, statim à princi-  
 pio expellendam esse iussisse, ne fortasse ad principem  
 partem tandem decumbens, egrotantem interficiat; ut  
 cùm Galeno aphorismum hunc omnes alij interpretati  
 sunt. His itaque sic stantibus, dico ego, eidem pericu-  
 lo egrotantes nostros esse expositos, nisi statim à prin-  
 cipio motum naturæ adiuuemus, dùm tentat humores  
 expellere à centro ad circumferentiam; Nam secunda  
 die ad interna retrocedere consueuerunt cùm egrotan-  
 tis interitu; Ideo, ut cùm Hippocr. periculum hoc effu-  
 giamus, & nos statim à principio motum hunc natu-  
 ræ adiuuandum fore contendimus. Quid? nonne idem  
 senserunt quidam ex ipsismet aduersarijs? Cùm enim  
 præclarissimus Massaria, & cùm eo Rudius docuerūt,  
 in hoc morbo statim à principio Venam esse aperien-  
 dam, ut natura ab onere subleuata, facilius deinde no-  
 xios humores ad emunctoria protrudere valeat; nonne  
 motum hunc naturæ imbecillum à principio adiuuan-  
 dum esse statuerunt? An verò tutius sit Venæ sectio-  
 ne, quæ à loco affecto humores reuellit, augmentumq;  
 ipsius tumoris impedire solet: vel potius sudorificis  
 medicamentis, quibus à centro ad circumferentiam hu-  
 mores pellimus, uti: unusquisque veritatis studiosus  
 facile dijudicare poterit. Possem hoc in loco Foresti,  
 Heurnij,



Heurnij, Plateri, & aliorum doctissimorum Virorum  
 auctoritatem in medium afferre, qui sudorificis foelici  
 cum successu in principio horum tumorum usi sunt:  
 atque de plurimis experimentis hoc idem comprobantibus  
 gloriari; Sed hac satis esse puto ijs, qui non nisi  
 egrotantium salutem quaerunt, atque inutiles quaestio-  
 nes contemnunt. Hanc vero doctrinam non nisi in ca-  
 su proposito locum habere statuimus, secus vero motus  
 iste non est iuvandus, uti superius ostendimus, ubi  
 simplicis febris pestilentis curatio instituitur, in qua  
 praeter id, quod a principio adeo conspicui naturae motus  
 non conspiciuntur, calorificis quoque, & praesertim  
 Theriaca calidam cordis intemperiem non augendam  
 esse clarissima nostrae aetatis medicinae lumina, Ale-  
 xander Massaria, & Hieronymus Capivaccius nos  
 docuerunt.

Ceterum officij mei esse existimaui ea, quae haec- Praxi  
 nus disputationibus varijs comprobata sunt, ad stu- hac ac-  
 diosorum utilitatem, medico usui clarius adaptare. commo-  
 dantur.

Cum primum igitur in aliquo ex propositis egrotanti-  
 bus prima, & tertiae Classis, tumorem circa emuncto-  
 ria mobilem Quis animadvertet: tunc in loco calidiori,  
 suffumigijsque odoratis puriore reddito erit aeger col-  
 locandus, linteisque calidis moderatè fricandus, ab in-  
 ferioribus ad superiora paulatim ascendendo, quoadus-  
 que naturalis calor excitetur. Mox sudorificum ali-  
 quod ex ijs, quae inferius describentur, propinandum  
 erit, eo tamen observato, ut cibus è Ventriculo prius  
 descen-

1 & 3 classis



descenderit. Sudore deterſo, at que ſola quiete aliquan-  
tis per reſorcillato agrotante: quia tumor in maiorem  
molem ob ſudorificum crescere conſuevit, ideo deriua-  
tionis gratia venam aperiemus, ut natura ab onere  
ſubleuata, facilius deinde humores in ipſa particula im-  
pactos concoquere, & ſuperare valeat; Iis tamen, qui  
ſunt tertiæ Classis, venam non aperiemus, ſed ſudori-  
fico tantum erimus contenti. Multiplici enim expe-  
rientia comprobatum eſt, hos ob virium iacturam ſan-  
guinis euacuationem minimè ſufferre poſſe. Vena ſe-  
ctæ, poſt vnā vel alteram horam agrotantes ijs ci-  
bis tenuioribus nutriemus, quorum inferius mentionē  
faciemus. Diebus verò ſequentibus, ſemiputridos hu-  
mores non amplius ſudorificis exagitabimus, ſed ſyru-  
pis, decoctis, vel iuſculis alterantibus concoquemus,  
& ad benignum deducemus, habito ſemper reſpectu  
qualitatis ipſius humoris redundantis; Apparentibus  
verò ſignis coctionis, quæ ex vrinis potiffimum con-  
ſpiciuntur, cathartico medicamento illos purgabimus.  
Eadem methodo incedemus cum ijs, qui ſunt ſecundæ,  
& quartæ Classis: niſi quòd in iſtis ob rationes ſupe-  
rius allatas, ſudorificis non utemur: ſed poſt venæ ſe-  
ctionem, quæ eadem die adminiſtrari debet, leui ali-  
quo pharmaco ex pulpa caſſiæ, & tamarindis, aut ſy-  
rupo roſaceo ſolutiuo, & hiſ ſimilibus (altera quippe  
die à venæ ſectione) ventriculum, & venas meſerai-  
cas ab humorum impuritate liberabimus, & vnà pro-  
hibebimus, ne noxijs humores ad ipſum repant, ex qui-  
bus

20. d. 47a



bus & nausea, & vomitus sequi consuevit. Qualia  
 verò sint medicamenta, quibus hoc in loco ad sudorem  
 eliciendum uti solemus, apud non paucos authores, qui  
 hac de re opuscula ediderunt, unusquisque non difficul-  
 ter inuenire poterit; Nonnulla tamen afferam, quæ do-  
 ctioribus explorata scio. Ex simplicibus à Fuschio com-  
 mendatur mirum in modum radix Petasitidis, cuius  
 decoctum egregiè sudorem promouere testatus est Pe-  
 trus Forestus, ut hac vna radice multos pauperes à  
 fol. 105. peste se liberasse ingenuè fateatur. Alij extollunt Ga-  
 legam, seu rutam caprariam: Alii chamæleontem, seu  
 Carlinam vulgò dictam: Alii alia, ut Vincetoxicum,  
 Scordium, Morsum diaboli, Veronicam, Angelicam,  
 Scorzoneram, Dictamnium Creticum, Carduum Bene-  
 dictum, Rad. Chinæ, Sarsaparillæ, & his similia.  
 Testatur quoq; Lucas Gbinus lib. de morbo Neapoli-  
 tano pag. 371. Personatã, Penthaphyllum, & Tor-  
 mentillam egregiè sudorem promouere: Accipit enim  
 personatæ libram semis, aquæ hordei canthares qua-  
 tuor, & coquit ad consumptionem medietatis; hoc enim  
 decoctum copiosum sudorem prouocare ait. Ex compo-  
 sitis verò præter Theriacam, & Mithridatis antido-  
 tum, varia in quotidiano vsu haberi solent, & in pri-  
 mis ab omnibus miris laudibus commendatur electua-  
 rium de ovo aureo, ut vocant Germani; Quod quidem  
 ibidem in vsu esse solet ob memoriam Sacratissimi Im-  
 peratoris Maximiliani primi, qui celebre iis in Prouin-  
 ciis illud iure, ac meritò fecit. Cuius compositio passim

G habe-

Medica  
 méta su  
 dorifica  
 Simplicia

Galiga optime notan  
 da vide  
 Corbina  
 ment. & Cochleari  
 un.

troctum personata

Composita

El. d'ovo d'oro  
 vid. infra  
 f. 74



Compositio El. J  
ovo eggfiror

Medica  
in mēm  
horica

indiqua

medicamentum  
ad pestem  
curandum  
in morbo  
pestis

Hollerij compo.  
firo

Error vulgaris  
in Sobu

habetur cum in Augustano, & Norimbergensi, tum  
in praeclarissimo illo speciali Jacobi VVeckeri Antido-  
tario; Nonnulli tamen, ne crocus aduratur (rectius, ut  
mibi videtur,) sic parare solent. Recipe vitellum oui  
ad duritiem coctum, cui adde croci contriti equale pon-  
dus, agitentur q̄; probè simul, addendo pulueris radi-  
cum Tormentilla, Dictamni, Angelicae, Vincetoxici,  
Succisæ, Scorzonerae an. drach. iij. seminum sinapis,  
vel eruce drach. ij. sem. Cardui benedicti, acetosæ an.  
drac. i. & dim. nucis vomice veræ drac. i. Theriacæ,  
& Mithridati optimi ad pondus omnium; & denuò  
in mortario contundunt, at q̄; in massam redigunt. Te-  
statur enim Michael Paschalius Hispanus in sua me-  
dicinæ praxi, quæ celebris est in tota illa regione, quòd  
Quicumq̄; tempestivè ea usus fuit, à peste se liberavit.  
Hollerius porro summæ authoritatis Medicus inter  
Gallos, hoc modo parare solet. Ovum albumine detra-  
cto, & tenui bacillo trajecto, tecto igne assari iubet, dū  
vehementer testa incalascit, deinde teri: cui equale  
pondus, vel vnc. i. Theriacæ addit, & vnc. ij. grano-  
rum sinapis optimè contusorum. Hanc dosim in duas  
partes dividit, quarum vnā egrotanti exhibet: Hæc  
si vomuerit, alteram præbet, quam si retinuerit, eua-  
surum pronuntiat. Ex hac Hollerii descriptione vnus-  
quisque animaduertere poterit, non sufficere vnicam  
drachmam electuarii de ovo, sicuti communiter fieri  
solet, sed augendam esse dosim, si copiosum sudorem,  
qualis in hoc morbo requiritur, excitare desideramus.

Non-



# Bubonis, & Carbunc. Pest. 11

Nonnulli verò sudorificū hoc celebrant. Rec. aquæ stil-  
laticie nucū iuglandiū imatur. vn. iij. succi, uel pulueris  
verbenæ drach. i. Theriacæ, vel Elect. de ouo drach. i.  
Croci grana iij. misce, vel sic Rec. rad. Valeriana, penta-  
phylli, dictamni albi, apij, pimpinellæ, serpentariæ, tor-  
mentillæ, an. vnc. i. angelicæ drach. ij. galangæ drach. vi.  
fol. valerianæ, chelidoniæ, an. man. dimidium: baccarum  
lauri, & iuniperi an. vnc. dim. ligni aloes drach. ij. cina-  
momi drac. vi. inciduntur, & contūduntur: Adde aquę  
vitæ mensurā vnā germanicā, Firtel vocant; aqua-  
rum boraginis, buglossæ, acetosæ, scabiosæ an. mensuram  
semis; Destillentur, Dosis vnc. ij. Clarissimus Platerus  
Basiliensis Medicus testatur hac aqua se feliciter in pe-  
ste usum esse; aliquando parum camphoræ addit; Et  
pro diuitibus addit Theriacam, & Mithridatum. Vel  
sic Rec. Theriacæ, vel Elect. de ouo, pulueris Macobani  
an. drach. i. aquæ Cardui benedicti vnc. iij. misce. Alij  
sic. Rec. cęparum albarum num. sex: mundentur, & in-  
cidantur, alij mundati num. iij. herbæ rutæ, chelidoniæ,  
plātaginis an. man. i. theriacæ optimæ vn. i. et dim. aquæ  
vitę vnc. ii. aceti vnc. i. vim vnc. ii. destillentur. Hæc  
admodū efficax est, & proinde vnc. dim. pro vna vice  
fortasse sufficiet. Paræus verò hanc nobis cōmendauit.  
Rec. rad. Chynæ, ligni guaiaci an. vnc. ij. corticum ta-  
marisci vnc. i. baccarum iuniperi drach. iij. ponuntur in  
phiala vitrea duodecim libras capienti, affundūtur aquę  
fontis lib. viij. macerātur p noctē sub cineribus calidis,  
mane bulliunt in balneo Marię ad consumptionem dimi

G 2 die

Aq. sudorifici

Alia Plateri  
vide aliam phal. siman  
Cap. eundem in tractatu  
de febrim curatiōe  
fol. 235

Alia

Alia

Johs 3/3.

Alia Paræi



die partis: colaturæ ad  $\text{unc. viij.}$  exhibetur cum tantillo  
 Theriacæ, vel Elect. de ovo. Efficacius erit decoctum si ad-  
 datur guttæ aliquot spiritus vitrioli, vel grana sex salis  
 absinthiaci, vel scabiosæ, verbenæ, fraxini, scordii, car-  
 dui benedicti, & similium, quorum descriptionem, &  
 parandi modum apud Vvec Kerum medicina studiosus  
 inuenire poterit. hi enim sales, præterquam quod sudo-  
 res mouent, sua quoque siccitate mirum modum putre-  
 dini resistunt. Nonnulli accipiunt sinapis acris  $\text{unc. dim.}$   
 Theriacæ, vel Mitridat. quod æquet fabæ magnitudinẽ,  
 cū vino albo, & pauca aqua vitæ dissoluunt, & vt bi-  
 bat æger, deambulet, & sudet iubent. Accipiunt alij cæpã  
 crassam excavatam, Theriacæ drac. i. et dim. & aceto re-  
 pletam sub cineribus coquunt: expressum succum propi-  
 nant cū aqua oxalidis, uel cardui benedicti. Rustici sum-  
 ma cum felicitate accipiunt finum vaccinum recentem,  
 & cū aceto exprimunt, & bibunt: Copiosum sudorem  
 mouet. Hæc & plura alia medici rationales.

Chymi-  
 stica,

Chymistæ verò, qui hoc potissimum tempore nouam  
 quandam medicinam profitentur, quam à præceptore  
 Theophrasto Paracelso Chymicorum omnium nostri tẽ-  
 poris præclarissimo acceperunt, varijs remedijs spagyricis  
 vt vocant, & hunc morbum se posse curare satis super-  
 ciosè iactant: Quorum nonnulla hoc in loco in medium  
 afferam, vt medicina studiosi etiã de ijs aliquando pe-  
 riculum facere possint; In morbo enim adeo sæuo, ac re-  
 belli, extrema quoq; experiri licet; Dicebat enim Hipp.  
 quòd extremis morbis, extrema remedia conueniunt.

Neque

NB spiritus vitrioli  
 & Salia

Aliud Sudorif.

Aliud

Aliud 2000.  
 pisa



Bubonis, & Carbunc. Pest. 153

Neque est, ut rationales medici ista spernant, nam uti testatur Clarissimus Reusnerus in suo libello de Scorbuto nuperrimè Francofurti edito, si hæc Hippocratica, & Galeni methodo exhibentur, maximum beneficiū aegrotantibus afferre solent. Utuntur igitur in primis vitro vel floribus antimonij; at que mirum in modum extollunt mercurium præcipitatum, mirò artificio paratum, ut tutò per os exhiberi possit. Testatur enim Matthiæ Senensis simplicium medicamentorum solertissimus indagator, quòd peste affectis succurrit, noxios humores per vomitum, secessum, at que sudorè expellendo; Idem antimonium, præstare fassus est. Chirurgum noui, qui securius, ut ipse dicebat, hoc modo exhibebat. Accipiebat vitri antimonij ꝑnc. ii. vini maluatici lib. ii. per integram diem & noctem in calidis cineribus relinquebat, deinde in balneo Mariæ coquebat ad tertie partis cõsumptionem: Huius liquoris propinabat ad cochleare vnum, vel alterum peste correptis felici cum successu. idẽ præstare aiunt flores antimonii. vel vitriolum Romanum ad drach. i. accipiunt, & in aqua rosacea dissolutiõ propinant. Rustici polonici salem ex fodinis accipiunt, & cum aqua calida dissoluunt, & bibunt: per vomitũ, & secessum purgat. Modus verò parandi eiusmodi Chymica apud Uveckerum, & Quercetanũ vnusquisque facile inueniet; Unicum tantum describere decreui, cũ apud istos non facile inueniatur, & pro summo arcano ab ipsis retinetur in præseruatione pestis.

Accipies tantum vitrioli romani, quantũ lubet, hoc ollæ

Vitrum d. floris  
antimonij.  
præbat Sumnerus dicitur  
inghæus Boeckelius  
cum multis alijs

Preparat Antimonij

Alexander  
lib. 1.  
cap. 1.  
de Pestibus  
et de alijs  
malignis  
febris

Flores  
Sulphuris  
et Mercurio  
vide supra p. 15

indes a



## 14 De vera Ratione Curandi

indes, obserabis, & in fornace lateritio coquatur, donec rubescat. Deinde contundes illud in puluerē, cuius lib. ii. affundes lib. i. sulphuris, et exacte miscebis. Hęc cucurbita indes terreæ, & impones parua fornaci, ac tegmen illi inferes vitreum, galeam vocant; & luto cōglutinabis galeam cucurbitæ, ne quid expiret. Deinde leuissimū subdes ignem, qui sensim incrementa sumat. Initio extillabit foetidissima aqua, quam scabiei prodesse aiunt: Mox sequetur sulphur, quod galeæ adhaerebit. Hoc manu absterges, collectumque iterum in noua cucurbita destillabis, adiecto rursus recenti vitriolo, vt ante scripsimus: Reliquum videbis vitriolum fundo adherere atramenti more nigrum, reiectaneum, & inutile; ter hoc fieri debet. Ioānes Heurnius lib. de febribus testatur, hoc esse Eleusinium, Chymistarum sacrum.

Alterantia.

Sed iam tempus est, vt ad reliqua deueniamus. Diximus superius, Medicū post sudorem excitatum, debere semiputridos humores concoquere, & alterare: Quod potissimum solemus prestare varijs Syrupis, & decoctis, quorum descriptio apud omnes practicos authores passim habetur. Pro tyronibus tamen hęc tantū in medium afferam; Rec. Syrupi de succo acetosæ, de succo boraginis, de acetositate citri an. vnc. dim. aquarū, seu decocti acetosæ, boraginis, pimpinellæ, scabiosæ, an. vnc. i. misce pro syrupo matutino, & vespertino, praesertim in aestate: licebit aliquando addere guttulas aliquot spiritus vitrioli, vt putredinem remedijs exiccantibus coerceamus magis, sitimque extinguamus; testantur enim  
medici

Alterantia  
8 v. 10 horis rei,  
feruam sancti  
Lauig f 30



Bubonis, & Carbunc. Pest. 55.

medici nostræ ætatis præclarissimi, Ioannes Crato, Aug-  
genius de Monte Sancto, Martinus Rolandus, et alij,  
in febribus pestilentibus spiritum vitrioli summopere  
prodesse; & ego testari ingenuè possum, non modo in  
syrupis, sed etiam cum conserva rosarum mistū felici cō-  
successu exhibuisse; & hoc medicamentum terra sigil-  
latæ, boli armænæ, lapidibus bezoardicis, gemmis præ-  
tiosis, et his similibus præferendum esse censeo. Humo-  
ribus præparatis, quod & ex vrinis, & accidentiū re-  
missione facile diiudicabitur, hoc, vel simili medicamen-  
to ij expurgandi erunt. Rec. rheubarbari incisi, agarici  
trocis. an. drac. i. spicæ g. vi. infundantur per noctem in  
decocto florum, & fructuum cord. & in carbunculis cō  
additione drac. i. senæ electæ, et Ellebori nigri. dra. dim.  
post leuem ebullitionem colentur, & fortiter exprimantur  
in colaturæ ꝑnc. iiii. dissolue syrupi rosacei solutivi,  
vel de polipodio Domini Augustini Niphi ꝑnc. iii.  
misc, fiat potio; Quæ sumenda erit per quinque horas  
ante prandium. Si quis à potu abhorruerit, poterit pil-  
lulas deglutire, vel morsellis ex saccharo purgantia me-  
dicamenta immiscere, qualia sunt diaturbit cō rheubar  
baro ad ꝑnc. dim. Licebit quoque augere, uel minuere  
dosim medicamentorum purgantiū, habita semper ra-  
tione ætatis, temperamenti, consuetudinis, & aliarum  
circumstantiarum, quæ à prudēti medico in morbis cu-  
randis perpetuò sunt obseruanda. Dūm autem intenti  
his sumus, minimè negligenda erunt externa præsidia,  
quæ cor ipsum, & spiritus vitales corroborare possunt.

Rec.

*Quædam  
de  
Spiritus vitrioli  
immundatio  
de  
f. 15*

*Purgati*



# Epithema  
cordis et  
pulvis

Inardis cordis  
omni thoriaco  
et ol. castoreo  
implant

Contra Feruorem

Rec. spetierū cord. temper. drac. i. & dim. aquę violariū,  
boraginis, buglossę, melissę an. vnc. i. & dim. vini mal-  
uatici vnc. i. misce pro epithemate cordis, et pulsū, quod  
bis ĩ die ante cibū administrari poterit. vel sic Rec. aquę  
rosarum vnc. iii. aceti ros. vnc. dim. succi pomorū acido-  
rum redolentium vnc. i. croci scrup. dim. cum aqua nuciū  
viridium fiat Epithema, pulsibus applicatur in magnis  
ardoribus. Præctici nonnulli post epithema inungunt  
partes illas theriaca, & oleis stillatijs calidissimis chy-  
mico modo paratis, quę mihi non probantur; nam cum  
morbum hunc sub genere februm reposuerunt, nō uideo  
quomodo huiusmodi præsidijs calidam cordis intempe-  
riem extinguere possint; Neque venenatę suę qualitati  
unquam occurrent, non extincto prius febrili calore; sed  
augebitur magis, & egrotum in maximo vitę discrimi-  
ne adducent. Sed de venenorum natura, & illorū cu-  
ratione aliquando, Deo volente, sententiam meā ape-  
riam; nam ipsa inter morbos non sunt recensenda, uti  
fecit Fernelius, qui venenatorum morborum mentionē  
fecit, sed inter causas morborum; Neque alios morbos  
excitare possunt, nisi eos, de quibus mentionē facit Ga-  
lenus in lib. de diff. morborum: & ut rectissimē dixit  
doctissimus Saluus Sclanus comm. p. in lib. artis medic.  
Galeni. morbi omnes, siue antiqui, siue noui, non nisi ad  
illas tres differentias à Gal. propositas reduci debēt; in-  
ter quos morbū Gallicū, Scorbutū, Plicam Polonicā, et  
alios similes affectus reponēdos esse arbitror. Sed iam tē-  
pus est, ut de victus ratione aliqd in mediū afferamus.

Tertium



Tertium instrumentum, quo maximi morbi superatur, est victus ratio optimè instituta: Quæ quidem ex omnium Medicorum sententia in recta administratione sex rerum non naturalium consistit, & perfici solet: aeris nimirum, motus & quietis, somni & vigiliæ, excretorum & retentorum, cibi & potus, necnon animi accidentium: de quibus omnibus breviter differendum erit. Collocandus ergo erit eger (à quacunq; causa ortum habuerit morbus iste,) in loco ab omni inquinamento libero; Quòd si talis non fuerit, suffumigiis odoratis, quæ temperata sint, purior erit reddendus. Refocillandi erunt quoq; spiritus animales aliqua aqua odorata, cuius vaporem eger sepe in die per nares attrahere poterit. Accipio ego in hoc casu aquæ rosarum partes duas, vini malvatici partem unam, aceti rosacei partem dimidiam: Quibus addo frustū aliquod corticum citriorum redolentium. Quiescendum illi erit, quòadusq; ab omnibus gravioribus accidentibus liber evaserit, at que à putridis excrementis fuerit purgatus: tunc non inutile erit parū per se exercere, ut facilius deinde Bubones ad maturitatem peruenire possint. De somno ita statuendum censeo, quòd sicuti moderatus illius usus vires infirmas recreare potest, ita immoderatus multorum graviorū accidentium causa esset solet; periculum enim imminet, ne putridi vapores ad caput ferantur, ex quibus vel delirium, vel aliquod aliud grave symptoma oriatur. Alius pro cibi ratione quotidie respondere debet, ne ex fæcum retentione maiora incommoda subsequantur; Quòd si

Dieta.

Aer.

Aqua odorata

Motus  
& quiesSomnus  
& vigilia.Excretā  
et retenta.

H talis



talis non fuerit, balano, vel lenienti clystere, ne crudi  
 humores intempestiuè moueantur, erit sollicitanda. Sed  
 quia præcipua ratio cibi & potus erit habenda, ideò ma-  
 gna prudentia hic opus erit, ne uel nimio cibo egri vires  
 opprimamus, coctionemq; impediamus, vel nimio ex-  
 quisito, ac tenui victu ad animi deliquium eum deduca-  
 mus; ideò dicebat Gal. xi. meth. quòd cum ars medica  
 tota sit magna, non leuissima est eius scientia ordinãdi  
 victus rationem; Quare cum non minima fuerit sem-  
 per inter Medicos cõtrouersia quomodo alendi sint egro-  
 tantes: ego, Quid hac de re sentiam, liberè pronuntiabo.  
 Nulli dubiũ esse puto, quin inter peracutos morbos in-  
 flammationes ista sint reponenda, & ideo ex Hippocr.  
 sententia egrotantes hos tenuissimo victu esse alendos:  
 statuo. Verba illius sunt hæc lib. p. Aphor. 7. Ubi mor-  
 bus peracutus est, statim extremos labores habet, &  
 extremè tenuissimo victu vtendum est; Ubi verò ple-  
 niozem adhibere licet, tantum cibi est indulgendũ, quã-  
 tò morbus extremis est leuior. Hanc sententiam com-  
 probauit Auicennas, qui de febre pestilenti sermonem  
 habens, ita ait. Cibi eorum sint ex acetosis, & desicca-  
 tiuis, & pauca quantitatibus, quia nocet eorum multitu-  
 do. Quibus verbis qualitatem, et quantitatem cibi no-  
 bis insinuare voluit. Sed nonnulli nobis obijcient eun-  
 dem Hippoc. & Galenum, qui 3. in 3. Epid. textu 59.  
 aperte affirmarunt, quòd quicumque in illa pestilentia  
 cibum sumpserunt, et vim sibi intulerunt, sanitati fuere  
 restituti: Reliqui verò, qui à cibo abhorruerunt, mortui  
 sunt.



sunt. Cui authoritati sic respondemus; Et primò quòd non valet consequentia à particulari ad vniuersale, & quòd per contrariam aliquam experientiam id, quod ratione, & vsu docente, in vniuersum constitutum fuit, nullo modo tolli, aut mutari potest. Præceptum vniuersale ex Hippocr. Gal. & Avicennæ sententia est, in omnibus peracutis morbis, & potissimum in febre pestilenti tenuissimo victu esse vtendum: Quia igitur in quadam pestilentia ex victu pleniore ægroti aliqui liberabantur, hinc sequi, in omnibus pestilentibus morbis idem esse faciendum, apertè negamus. Deinde Galenus affirmat, vi morbi ægotantes illos in maximã appetitus prostratione incidisse; vt minimè sit mirandũ, si ex istis multi erant, qui omnino à cibo abhorrebant, & ex inedia peribant; Alij verò, qui vim sibi inferebant, vires cibo sustentabant, quæ inde roboratæ morbum superabant. Sed nos supponimus nostros ægotantes ab hoc symptomaticate liberos esse: Quia à principio morbi ea remedia adhibuimus, quæ putredinem humorũ cohibere possunt. Ideo cum Hippocr. & Galeno sic terminandam esse puto quæstionem istam; Vt si animaduertimus vires ægotantium in suo statu ad morbi vsque finem permanere posse, tenui victu sumus contenti, vt ea incõmoda effugiamus, quæ supra recensuimus; Nam corpora impura quantò plus nutries, dicebat Hippocr. eò magis lædes; sin minus, plenore cibo illos refocillabimus; Ideò Hipp. eodẽ libro aphor. ita ait. Coniectari autẽ oportet, an eger cum tali victu sufficiet perdurare, donec morbus consi-



Stat; Et nunquid prius ille deficiat, nec possit cum tali  
 victu perdurare, vel morbus ante deficiat, & hebe-  
 scat. Ad quæ verba Gal. sic annotat. Est autem hæc in-  
 tentio vis ipsa ægrotantis, cuius gratia nutrimus; neque  
 enim morbi causa. Ideo statuit vt hi aphorismi simul cõ-  
 iungantur, si quis Hippoc sententiam circa ægrotantes  
 cibandos in morbis acutis, rectè percipere voluerit.  
 Hanc sententiam ipse confirmavit lib. xi. meth. & nos  
 hoc in loco libenter amplectimur; Ita q; sic procedendum  
 esse statuo, vt ægrotantes nostros tenui victu nutria-  
 mus, exceptis ijs, quos sub tertia Classe reposuimus;  
 diuturna enim experientia obseruatum est, quòd sicuti  
 ex virium imbecillitate vena sectionem non admittunt,  
 ita & victum tenuem sufferre non possunt, quin vires  
 omnino deficiant; ideo paulò pleniore cibo hi erunt alen-  
 di. Illud interim admonere volo, quòd cum in hoc mor-  
 bo ex leui occasione vires labefactari possint, vt illæ in  
 suo statu seruentur, tenui quidem cibo utamur; sed  
 sæpius in die: nempe ter, vel quater ad summum inter  
 diem, & noctem cibus illis erit offerendus. Qualis ve-  
 rò debeat esse cibus tenuis, & facilis coctionis vnicuique  
 exercitato Medico notum esse puto. Vtemur igitur pa-  
 natella (vt vocant) in aqua cocta cum modico saccharo  
 condita, vel in iure pulli macri, non saliti; Quod quidẽ  
 alterare poterimus folijs acetosæ, boraginis, pimpinellæ,  
 citri semine, & his similibus, quæ cor exhilarant, &  
 putredini resistunt. Licebit quoque aliquando exhibe-  
 re hordei cremorem eodem modo paratum. Potus ve-  
 rò

Panathella



rō sit aqua hordei optimè cocta & ab omni flatu exper-  
 te, quæ sic parari solet. Accipitur hordeum bene munda-  
 tum, & lotum, & sufficienti quantitate aquæ purissimæ  
 coquitur ad crepaturam usque: tunc aqua illa abijci-  
 tur uti flatuosa, & recens additur, quæ post aliquam  
 ebullitionem colatur, & servatur pro potu; Eam tamen  
 condire poterimus cum syrupo de acetositate citri, de li-  
 monibus, de granatis, vel acetoso simplici. Nonnulli  
 addunt guttulas aliquot spiritus vitrioli, ita ut in potu  
 non ingrata quædam aciditas percipiatur. Heurnius nō  
 abhorret etiam ab oleo sulphuris; Alij sic parant. Rec.  
 sacchari optimi lib. dim: affunde aquæ rosarū tamdiu do-  
 nec diluatur, adde aquæ fontanæ mensuram vnā, aceti  
 tantillum, ut saporem acidulum adipiscatur: sitim ex-  
 tinguat optimè. Sed ego loco aquæ rosacæ ob illius ad-  
 strictionem acciperem aquam acetosam, vel de endiuiā  
 stillatitiā. Poterit quoque eger accipere aliquando in  
 die conseruas cordiales ex rosis, violis, boragine, aceto-  
 sa, & quam ex interiore citri parte parare solent (acre-  
 dinem citri practici vocant,) & admodum utilis est in  
 casu proposito. Quod si addideris guttas aliquot spiri-  
 tus vitrioli, putredini magis resistes, et sitim citius ex-  
 tinguas. Hoc igitur cibo, & potu erunt alendi egrotantes  
 nostri usque ad morbi declinationem: tunc paulatim  
 ad cōsuetum cibum erunt deducendi, præsertim expur-  
 gatis noxijs humoribus ne recidiva superueniat. Quod  
 si virium prostratio, & animi deliquium superuenerit,  
 tunc cum Gal. non nihil vini tenuioris, & oligophori

Potus ay. hor.  
 cui non  
 flatulens  
 40

Alina Johis

Conserua etc.

Vinum Rosaceum  
 in virium defectu



concedendum esse non dubitamus.

Animi  
acciden-  
tia.

Interim egrotus animo sit constanti, et quavis mor-  
bus iste periculo non vacat, cogitet nihilominus, quod ij  
qui tempestiue medicum accersunt, & preceptis illius  
obediunt, sepiissime pristinae sanitati restituntur. Et in  
primis Deo Opt. Max. totum se tradat, atque ab illo  
ardentibus precibus sanitatem precari non desistat.

Topica.

Abstrusorem, ni fallor, huius methodi partem me ab-  
soluisse puto; nunc ad eam deueniendum esse statuimus,  
quæ particulas lesas respicit; nempe, ut ait Galen. xiiij.  
meth. in principio, ut humores, in tumore impactos, eua-  
cuemus; ac post sensibilem eorum purgationem, Ulcus  
mundemus, repleamus, et tandem ad cicatricem perdu-  
camus; Illud precoculis semper habentes, ne (sicuti in  
alijs inflammationibus, quæ circa emunctoria excitan-  
tur, fieri solet) repercutientibus utamur, ne forte ma-  
teria maligna ad principes partes retrocedat cum egro-  
tantis interritu. Priore igitur loco de Bubone, mox de  
Carbunculis agemus.

Bubonis  
curatio.

Quod igitur ad Bubonem attinet, illud in primis ani-  
maduertendum erit, an mobilis sub digito fuerit, uel fir-  
mus, & in acutum mucronem eleuatus. Si mobilis, tunc  
laxantibus fomentis erit utendum ex decocto maluæ,  
altheæ, uiolariæ, sem. lini, & his similibus, in aqua, uel  
hydrelæo coctis. Buboq; post fomentationem, butiro non  
salito, oleo amygdalino dulci, uel unguento dialtheæ, si  
dolorificus fuerit, inungendus. Quod si contumax erit,  
attrahentibus cum laxantibus utemur. Formula huius-  
modi



Bubonis, & Carbunc. Pest.

63

modi Cataplasmatibus talis erit. Rec. cæparum sub cineribus costarum vnc. iiij. fermenti acris vnc. i. stercoris columbini drach. ij. axungia suillæ, & gallinæ an. vnc. i. contunde, & confice cataplasma secundum artem. Vel sic Rec. galbani, fermenti an. vnc. ij. rad. liliorum alb. vnc. iiij. interioris ficuum pinguium, nucis rancidæ an. vnc. ij. farina sem. fenugræci vnc. ij. succi betonicæ, mellis an. quantum sufficit, fiat cataplasma. In rebellioribus ad cucurbitulã deueniemus. Bubone in magnitudine eleuato, de materiæ euacuatione cogitandum erit, sed quia à principio durus, & crudus est, ideo emolliendus, & concoquendus prius erit; ad hoc præstandum aliquando sufficiet Diachylon simplex Venetorum, vel compositum, quod ex gummis conficitur: Quod cum axungia porcina, vel gallinæ liquefactum buboni applicabitur. Vtile quoque erit sequens, vel simile cataplasma. Rec. fol. maluæ, altheæ, violariæ, branchæ vrsinæ an. man. dim. caricarum pinguium num. x. sem. lini, fenugræci cõtusorũ an. vnc. i. fiat decoctio secundum artem in iusta quantitate aquæ. Contunde omnia, quibus addes farina triticæ, hordeaceæ an. vnc. iiij. farina sem. lini vnc. ij. olei chamæmelini, liliorum alb. an. vnc. i. pinguedinis gallinæ, anatis, butyri recentis an. vnc. dim. & cum eodem decocto lento igne paratur cataplasma, quod mane, & vespere buboni applicabitur. Quod si à principio ob calidiorum humorum affluxum, dolor partis subsequetur, tunc mitigatorijs, & anodinis dolor prius erit sedandus; deinde ad emollientia, & suppurantia redeundum erit. In hoc casu, feliciter

A fortioribus aost  
 nuncum censit  
 Boetius  
 4. 96 & 97.

In dolore.

licet



lici cum successu, buboni applicamus ceratum de cerussa  
 camphoratum, vel Tetrapharmacum Gal. Materia con-  
 cocta (quod ex tactu molliore, colore albidiore, & acci-  
 dentiū remissione cognosci poterit) Bubo vel ferro, quod  
 mihi magis placet; vel caustico medicamento, si aeger  
 timidus fuerit, aperiendus erit: animaduertendo, ne  
 nervus aliquo modo ledatur, eumque locum tamdiū  
 apertum permanere curabimus, donec ab omni sorde de-  
 tergente aliquo medicamento ex melle rosaceo, thereben-  
 tina, & omni vitello, fuerit expurgatus. Cavitas deinde  
 carne erit replenda sarcoticis medicamentis; & tandem  
 siccioribus pulveribus, & ceratis (epulotica græci vo-  
 cant) ad cicatricem deducetur: Eiusmodi non describo,  
 quia Chyrurgis omnibus innotescūt, et apud omnes pra-  
 cticantes facile reperiuntur. Hoc tamen dicam me non  
 posse illorum sententiam probare, qui immaturum bu-  
 bonem aperiunt: Quod quidem à ratione alienum vi-  
 detur, cum ex huiusmodi incisione putridi humores non  
 expurgentur; & ex ingenti dolore pars exasperatur, et  
 in Ulcus malignum, vel fistulam desinit. Expectanda  
 igitur erit meo consilio bubonis concoctio, et eo tempore,  
 (citius tamen quàm poteris,) bubonem aperies; nam ex-  
 purgatione huiusmodi humoris de agrotantium salute  
 magis erit sperandum.

Bubo in immaturus  
 apertus.  
 N. Wittmann, 1702

Carbun-  
 colorū  
 signa, et  
 curatio.

Sed iam tempus est, ut sicuti superius promissimus,  
 carbuncolorum signa magis particularia cum ipsa cura-  
 tione coniungamus: Et quamvis non ignorem, Galeniū,  
 & reliquos Medicos recentiores horum tumorū signa,



Et curationē tradidisse, nihilominus quæ partim à me, partim ab alijs observata sunt, hic commemorare inutile non fuerit. Horum igitur quatuor differentias esse statuo ob varietatem humorum, qui aliquando cū ipsâ atrabile miscentur, uel ob incendium maius, aut minus, quod in ipsis deprehenditur.

Primæ igitur differentiæ hæc sint notæ. Vesicula in superficie tumoris apparet cum circulo violacei coloris; Nam reliqua, id est, calor ingens illius partis cum gravissimo dolore, pruritu, et scalpendi desiderio omnibus carbunculis communia esse solent.

Secundæ differentiæ eos facio, in quibus loco vesiculæ albedo grani millij instar apparet, quorum circulus ad rubedinem magis tendit.

Tertiæ verò eos, in quibus plures vesiculæ conspiciuntur, quorum circulus ad atrum colorem magis inclinare videtur.

Quartæ et ultimæ eos statuo, qui vesiculam nullâ præferunt, sed in eorum superficie nigredo apparet, quorum circulus bituminis instar splendens conspicitur. Et hi omnium deterrimi sunt; Niger enim color, siue in excrementis, siue in ipsis corporis partibus pessimus, et abominandus est; putrescentis enim bilis atræ summio incendium denotat. Illud quoque sciendum erit ex huiusmodi carbunculis inevitabilem mortem præ sagiri posse, cum Bubonem præcesserint.

Iam pro horum omnium carbunculorum curatione, Curatio præmissis vniuersalibus, quæ causam internam profli-

I gare

Quatuor Carbunc.  
alibi signe.

1

2

3

4



gare possunt (nam de ijs satis copiosè superius egimus) hi erunt scopi curatiui; Ut calidissima eorum intemperies frigidis medicamentis corrigatur, simulq; inhibeatur, ne eorum incendium ad viciniore partes serpat; Deinde ut materia ibidem contenta, cum sit toto genere præter naturam, radicitus (si fieri potest) euellatur; Vlcus deinde mundetur, repleatur, & ad cicatricem deducatur. Sed præter hos scopos præclariss. Paræus, Hieronymus ab Aquapendente, & alij alterum nobis proponunt, qui venenatam qualitatem respicit, Theriaca, & Mithridatica antidoto carbunculos inurentes; Quã sententiam hac in parte comprobare non possum, nã etsi cum his tumoribus venenatam qualitatem adesse illis concederemus, nõ video quomodo his calorificis medicamentis calidam horum tumorũ intemperiem emendare possimus: Quinimò magis exasperabitur anthrax, & dolorificus magis ipse reddetur; Ideo indicatio, quæ ab essentia morbi sumitur, præstantiorem locum apud me semper habuit, quàm illa, quam à venenata qualitate hauriunt isti; Deinde non valet consequentia, est venenata qualitas, ergo Theriaca requiritur; Nam fatentur omnes, Theriacam omnibus venenis opitulari non posse: Quis enim adeo demens est, ut velit occurrere incendio ventriculi, excitato à mercurio sublimato, vel arsenico cum ipsa Theriaca? Relicta igitur indicatione ista, scopis à nobis propositis erimus contenti, quia intentioni nostræ optimè satisfacere poterunt. Pro priori igitur assequendo Galen. nobis proponit celebre illud cataplasma, quod

N  
 Denio contra  
 Venenatam  
 qualitatem.



quod conficitur ex farina lentium, pane fursuraceo, & folijs Arnoglossæ in aqua, vel oxymelite decoctis ad iustam consistentiam; in hoc enim cataplasmate vis inest non solum intemperiem calidam temperandi, sed & humores ibidem contentos leniter discutiendi: timet enim Galenus, ne, si solis refrigerantibus utamur, noxia materia ad principes partes retrocedat cū inevitabili agrotantium interitu. Ne verò ad viciniores partes serpat incendium humorum, sæpius in die proximiores partes ipsi carbunculo inungemus unguento ex cerusa camphorato, vel quod ex bolo sic parari solet. Rec. boli armeni ꝥnc. iiij. terræ sigillatæ ꝥnc. ij. cornu cerui ꝥsti, & rasuræ eboris an. drach. ij. camphoræ drach. ij. ceræ ꝥnc. ij. olei rosacei ꝥnc. ij. albumina duorum ouorum, misce, fiat linimentum. His peractis de materia putridæ evacuatione cogitandum erit, ideo cucurbitula, quæ totum circulum ambiat, applicabitur, & mox carbunculus circum circa profunde scarificabitur, ut crassities putridi humoris exitum habere possit, quem si talem conspexeris, bene de salute agrotantium sperandum erit, secus verò si rubicundus exierit; euacuatur enim, quod euacuari minimè deberet. Deinde tale applicabitur cataplasma, quod ex sententia Chalmetei intra biduum carnem sanam à putrida segregat. Rec. rutæ man. dimidium fermēti acris ꝥnc. i. ficus siccas num. iiij. piperis drach. i. & dimidiam, misce, fiat cataplasma, quod mane & vespere innovandum erit. Vel sic Rec. passularum, caricarum, nucum rancidarum, vel assatarum, farine hordei

Cur solis refrigerantibus  
utendum non  
utendum

Beethelio sancti  
c. 110. 111. suspecta



an. ꝯnc. ij. in vino rubro coquantur, deinde terantur, addendo pinguedinis suillæ ꝯnc. ij. Vitelli ouorum num. ij. Quòd si adhuc non rumpatur, permisce cœpam coctam, fermentum, vel sabinam. Paræus hoc, quod sequitur, laudibus celebrat. Rec. fuliginis caminorum ꝯnc. iiij. salis communis ꝯnc. ij. redigantur in pollinem; additis que duorum ouorum vitellis, simul agitantur ad pulpam consistentiam, tepidum que carbunculo applicabitur; in incremento verò superficiem carbunculi inurit oleo feruente, vel aqua forti chymistarum, tali enim inustione, tanquam fulmine, ictum venenum extinguit, dolor que leuior multò redditur, quemadmodum multiplici experientia se comperisse testatur. Escharam deinde amouere studet. butyro recenti supra brassicæ folium imposto: mox vlcus mundatur, et repletur iisdem medicamentis, quibus communiter uti solemus, in cauis et sordidis vlcibus curandis. Nicolaus Masfa mirum in modum commendat triticum à sano homine masticatum stomacho ieiuno; maturat enim, dolorem mitigat, et deambulationem ad proximiores partes prohibet; Et est remedium (inquit) in tali casu sine pari. Nonnulli verò ad ardorem carbunculi extinguendum felici cum successu vtuntur succo consolidæ maioris, Greci symphyton vocant; herbam enim accipiunt, et intra duos lapides contundunt, quam cataplasmatibus modo carbunculo applicant, et hoc unico remedio intra unius diei spatium, eum extinctum fore asserunt. Alij semperniuum, seu Sedum maius accipiunt, folia que expressa eadem

Marburgensis  
f. 49 \*

Triticum masticatum  
maturat & dolorem  
millest



Eadem quantitate fermenti acris iterum in mortario con-  
 tundunt, cui addunt vitellum oui, ac post tres, vel qua-  
 tuor dies ubi facta fuerit horum fermentatio, carbun-  
 culo applicant; hoc enim cataplasmate, diuino quasi mi-  
 raculo, carnem putridam à sana segregari, & illius ar-  
 dorem extinguere testantur. Idem prestare poterunt plan-  
 taginis, & ligustri folia expressa. Fallopius verò ouum  
 optimè coquit, ut dure scat; ab eo vitellum extrahit, in  
 cuius cavitatem salem imponit, mox contundit & car-  
 bunculo applicat felici cum successu. Neque silentio præ-  
 terire volo, quæ ab eximio Chyrurgo, qui Venetijs tem-  
 pore pestis in publico hospitali (Lazaretum vocant)  
 inserviebat, factitatum scio. Accipiebat gossypium spe-  
 cillo chyrurgico adaptatum, & in feruens oleum rosa-  
 ceum immergebat, ter quæ vel quater carbunculi tan-  
 tum superficiem inurebat, ubi vesicula, vel albedo illa  
 grani millij persimilis conspiciebatur; id quæ summa cum  
 dexteritate, ne circulus tangeretur, & carbunculi in-  
 cendium aueretur magis. Hoc peracto, cucurbitulam  
 applicabat, quæ totum circulum ambiebat, mox carbun-  
 culum ipsum profundè scarificabat, ut crassities humo-  
 ris atrabiliarij facilius euacuaretur, deinde, ut à sana  
 particula segregaretur, huiusmodi cataplasma applica-  
 bat. Rec. fermenti acris vnc. iij. axungie gallinæ vnc. ij.  
 sacchari albi vnc. dimidiam, croci drach. j. Vitellos ouo-  
 rum num. ij. at quæ cum oleo rosaceo cataplasma conficie-  
 bat, id quæ bis in die applicabat, quoad us quæ sanam par-  
 ticulam à putrida separatam conspiciebat, hoc enim in-  
 dicium.



*dicium est carbunculi feruorem esse extinctum. Neque interim negligebat locum Carbunculo viciniorum inungere unguento de cerusa camphorato, ut progressum carbunculi inhiberet; Post hæc à cataplasmate abstinebat, ac solo butyro supra folium brassicæ imposito utebatur, circulumque, qui iam à sana particula segregabatur, puluere sacchari candi aliquoties replebat, quò ad usque summa cum dexteritate carbunculum integrum, seu frustatim radicitus euelleret, perpetuò animaduertens, ne Venam aliquam insignem, arteriam, aut nervum offenderet. Hoc modo aliquando extracti sunt carbunculi, qui, teste Nicolao Massa, ad libras duas ponderabant, maximo cum fœtore, quod erat indicium insignis putredinis; Vlcus deinde mundabat, et ad cicatricem deducebat eodem modo, quo et cætera Ulcera curari consueuerunt. Vbi verò plurimæ conspiciebantur vesiculae, vel nigredo in superficie carbunculi, nullo modo inurebat, sed alia via incedendum esse putabat, nempe eadem, quæ à nobis, præter inustionem proposita est; Sed quia sæpissimè contingit, ut ex istis carbunculis ramulus unus, vel alter ad Bubonem vsque perueniat, ex quo ægrotantes summum dolorem, atque incendium persentiscunt, ideo in hoc casu linimentis frigidioribus sæpius in die ramulos istos inungebat, et ut facilius à sana particula carbunculus segregaretur, validiori adhuc cataplasmate utebatur. Rec. fermenti acris, terebenthinæ laricinæ an. ꝑnc. iij. fuliginis fornacis ꝑnc. ij. et dimid. butyri recentis ꝑnc. ij. smegmatis, seu saponis.*

*N*



saponis nigri ꝑnc. iij. Croci drach. j. ꝙ cum quatuor vitellis ouorum cataplasma parabat, quo utebatur quoadus que sana particula à putrida conspiceretur, iisdemque medicamentis ad morbi usque finem utebatur, quibus ꝙ in reliquis usus fuerat. Et hæc in præsentia satis fore mihi videntur, ad horum pestilentium tumorum integram curationem. Si quis plura desiderat, alios celebriores authores perlegere poterit; Nos enim breuitati, atque vtilitati studentes, ea tantum in medium attulimus; quæ cum ratione, tum multiplici experientia securiora esse comperimus.

De symptomatibus verò corrigendis, quæ has inflammationes aliquando concomitari solent, non videtur necessarium quicquam in medium afferre, tum quia ex causarum internarum amotione ꝙ ipsa euanescere solent, tum quia ꝙ aliis acutis morbis communia esse consuevere; et de his à Galeno lib. xij. meth. ꝙ ad Glauconem fusiùs est pertractatum, ita vt unicuique exercitato medico cognita esse non dubitem. Ad ultimam igitur huius nostræ tractationis partem tandem diueniendum esse puto.

Et si omnis horum morborum præcautio aliquo modo De præ-  
curationem ipsam ordine præcedere videatur; tamen ne serua-  
methodus curationis perturbaretur, de ipsa vniuersam tione,  
tractationem prius instituendam censui, quod cum à me  
breuiter, ac distinctè perfectum putem, postremo loco,  
quomodo à peste hac nos ipsos præseruare valeamus,  
tractandum mihi duxi.

Iam

Vide Nauvian  
de peste parthi  
tertia.



Iam igitur huius præcautionis speculationem in duas  
 partes diuidere volui; ut scilicet una ad singulos pri-  
uatim pertineat, altera & ipsi Magistratui quoque sit  
 communis, qui vel Ciuitatis, vel Prouinciæ curam ha-  
 bere debet. Quòd ad priorem attinet, illud in primis  
 sciendum est, duos scopos nobis proposuisse Galenum li-  
 bro primo de differ. febrium cap. 4. primùm, ut corpus  
 sit maximè perspirabile, & ab excrementis liberum,  
 deinde ut causæ efficienti, quæ nobis manifesta sit, vi-  
 ribus omnibus obuiam eamus, eamque rescindamus;  
 Qui quidem scopus præcipuum locum mihi obtinere vi-  
 detur; Si enim nobis ipsis à scabie, lepra, & alijs mor-  
 bis minus contagiosis præcauere non possumus, si cum  
 ijs, qui istis laborant, versemur: Quanto minus a con-  
 tagiosissimo hoc morbo nos ipsos præcauebimus, si cum  
 iis versemur, qui pestilentibus his morbis fuerint corre-  
 pti? non tamen negandum erit, corpora ab excrementis  
 libera alijs facilius morbum hunc superare posse, si for-  
 tè in talem inciderint ægritudinem. Quod quidem in  
 primis monere volui propter Empyricos impostores,  
 qui non modò vulgares homines, sed & nobiles, &  
 Principes suis figmentis mirum in modum decipere so-  
 lent, secretiora nescio quæ Antidota illis proponentes,  
 cum certo certius sit, & Palmerius, & alii optimi  
 medici testentur, nullam adhuc Antidotum inuentam,  
quæ nos à pestiferis morbis immunes reddere debeat.  
 Sed ad rem redeamus. Galen. loco citato breuissimè  
 scopum priorem his verbis nobis patefecit. Summa eo-  
 rum

Boetius. fol. i. B

Plinius 9 febr. s. 211.

Seneca de diff. de 22

1226.



rum (vt ait Hippoc.) putredo fuit, at q. id ipsi agnoscentes, quęcunq. corpora humida vidimus, statim quouis modo exsiccare studuimus: Quęcunq. verò sicciora, pristinam in his naturam custodiuimus, ac quę excrementis plena, purgationibus persanauimus; obstructiones verò meatuū aperuimus, et quę sequuntur. Valeant ergo illi, qui præter putredinē, venenatam nescio quam qualitātē nobis proponūt; cū Galenus nō nisi putredinis mentionē faciat eo in loco, et ab ipsa sola præseruationis scopos nobis proponat. Ex quibus manifestē ostenditur, quomodo incedendum sit circa præcautionem, vt hinc quoq. erroris cōuincantur ij, qui indifferenter purgantia medicamēta omnibus præscribunt, venamq. indifferenter omnibus aperiūt, cū Gal. nō nisi, qui excrementis abūdant, purgādos esse præcipiat. Quibus verò medus reliquis scopis à Galeno ppositis, satisfacere valeamus; vnicuiq. exercitato medico exploratū esse non dubito; hoc tātū admono medicine tyrones, vt non nisi leuioribus vtantur pharmacis, qualia sunt Syrupus, ac mel rosaceū solutiū, Manna, Tamarindi, Rhabarbarū, agaricus, flores cassię, et his similia; habito semper respectu etatis, at q. humorū redundantium. Cacochymos tamen valentioribus tractabimus pharmacis, vt ad meliorem statum eos deducamus; neq. hic cōmemorabo, quę pestis tēpore à veteribus, et recentioribus in mediū afferuntur, cū multumina apta videātur; sed paucis ero contentus, vt et simul breuitati studeam. Cōmuniter igitur in hoc casu felici cū successu vti solemus pillulis Ruffi, quę cōmuniter

K

de

ob humores venenatos  
et q. impoant

De pestibus  
100.



de tribus, & pestilenciales vocitantur, conficiuntur enim ex aloe, Myrrha, & Croco. Rasis sic eas descripsit. Rec. aloes lotę ꝑnc. ij. myrrhę electę ꝑnc. j. croci ꝑnc. dimidiã, misce, & cū vino aromatico parentur. Idem prestabunt pillule mastichinę Petri de Abano, vel de tribus cū rhabarbaro, cū valētius purgare bilem, & pituitam voluerimus, semel in hebdomada, vel bis in mense sumi debent; sed in estate tutius erit sumere florem cassię cum puluere rhabarbari, vel syrupū rosaceum solutiuum cum decocto pulpę tamarindorum dissolutum. Corpore ab excrementis expurgato, licebit vti aliquo electuario, seu antidoto (vti vocant) in quo facultas insit superfluas humiditates absumendi, cor q. ipsum, vti fontem natiui caloris, adeo roborandi, vt facilius deinde noxios vapores, ac pestilentes à se repellere valeat. Horum syluam plurimam inuenire licet apud celebres authores, qui hac de re integra opuscula ediderunt: nihilominus Anthidotus, seu elect. de ovo omnia prestare potest, quę superius recēsumus; & si quis animaduertet, quę ab aliis proponuntur, nil ferè inueniet, quod in celeberrimã illam compositionē non ingrediatur; Quod quidem confirmare volo exēplo illius cōpositionis, quam pro summo secreto retinet apud se Sereniss: Rex Hispaniarū, cuius compositio talis circūfertur. Rec. Myrrhę selectę, mastiches, boli armene, terre sigillatę, ligni aloes, Gariophilli, maceris, croci, an partes equales, misce fiat puluis; Capiat singulis matutinis. Pauperes verò hac summa cū vtilitate vti poterunt, dicunt enim à Pompeio Magno in Mithridatis sacratio

Cl. ꝑnc  
 supra f. 49  
 caliditate melius  
 Boerhauius f. 60.

Petrus Regis  
 Hispaniarum

Mithridatis  
 Antidotus ꝑ. rasis.



Bubonis, & Carbunc. Pest. 75

trario fuisse inuentam. Rec. nuces iuglandes num. duas,  
 ficus totidem, ruthæ fol. xx. Et salis granum: Quæ do-  
 sis singulis diebus deuorari debet. Petrus verò Forestus  
 in suis medicis obseruationibus de morbis pestilentibus,  
 vt facilius ab omnib. haberi possit, habito respectu om-  
 nium ingrediētium, dosim auget, Et cum syrupo de ace-  
 tositate citri in electuarij formam redigit, ex quo quoti-  
 die cochlear vnum sumendū iubet; testatur enim vir do-  
 ctus, Et ingenuus, se hac sola Antidoto seipsum, Et plu-  
 rimos alios à peste Harlemēsi præseruasse. Licebit quoq̃  
 vti rotulis ex spetieb. liberātis, seu ijs, quæ solo saccharo,  
 Et flore sulphuris superius descripto parari solēt; In quo  
 vis maxima inest exiccandi, atque putredini resistendi.  
 Clarissimus verò Augenius de monte sancto miris lau-  
 dibus celebrat vsum olei, seu spiritus vitrioli, cuius inte-  
 gra verba huc transcribere non grauabor.

lib. 6. § Febr.  
 obser. 16.

Conf. Libanus  
 Flor. sulph.

f. 53.

Boeckel.  
 f. 57.

In alijs generibus pestis, ephemera excepta, oleum  
 vitrioli mirabile est, Et quādo opus est præseruare cor-  
 pora pituitosa, vel alijs repleta humorib. vitiosis, melius  
 remediū non inuenietur. Duo aut sunt genera huius olei,  
 vnum potabile est, alterum causticum ad alia maximi  
 momenti. Tempore caniculæ, nisi magna urgeat necessi-  
 tas, non vsurpetur: alijs temporibus securissimum est,  
 gustui gratissimum euadit, non inflāmat humores, appe-  
 titum excitat, ventericulum corroborat, corpus ab omni  
 corruptione liberat, eā exiccant, putredinem arcet, impe-  
 dit q̃. ne fiat. Datur omni etati, omni temperamento, in-  
 fantibus exhibetur guttae duæ, vel tres: in etate consi-

Olei vi-  
 trioli vi-  
 res. go Augenio  
 supra f. 55.

K 2 stenti



22 Stenti constitutis à quinq. ad decem cum ꝑnc. Una, &  
 22 dimidia syrupi de citro, et ꝑnc. quatuor iusculi boni pul-  
 22 li, in quo bullierint folia, et radices boraginis, et acetosæ.  
 22 In temperamentis calidis exhibeo ad ꝑnc. octo cum eadē  
 22 materia, et ut vim suam magis exerat, singulis vicib.  
 22 addo camphoræ grana duo, vel trochis: camphoræ grana  
 22 sex, quando tamen grauedo capitis non est. In corporibus  
 22 humidis bis in septimana datur horis quatuor, vel quin-  
 22 que ante prandium. In ijs, qui minorem habent humidi-  
 22 tatem, datur semel, & securissimum euadit. Imò ausim  
 22 dicere ad febrem pestilentem sanādam esse medicinam,  
 22 quæ non habeat parem, ut declarauimus in lib. nostris  
 22 de curatione. Hactenus primarius medicinae professor in  
 celeberrimo gymnasio Patauino. Sed ad rem redeo, sicut  
 igitur, hæc et similia semper magni feci, ita sententiam  
 illorum minimè probare possum, qui tempore pestis per-  
 petuò in ore detinendam iubent radicem Zedoariæ, An-  
 gelicæ, & his similes, falsò existimantes se posse aditū  
 vaporum pestilentium ad interna prohibere, ac si per alias  
 vias ad interna peruenire non possent. Addo quòd cum  
 hæc calida admodum sint, fauces nimio æstu accendunt,  
 & per consequens debiliores reddunt, ut facili negotio  
 humores noxi ad illas partes currant, & inflammatio-  
 nem ibidem excitādo, ægotantem breui temporis spatio  
 suffocent. Ne quæ illorum inuentum probare possum, qui  
 Amuleta, nescio qualia, ex Arsenico, & mercurio nobis  
 proponunt; cumq. ipsi ratione valida certare nō possint,  
 ad experientiam confugiunt. Sed si licebit his armis cer-  
 tare,

Videtur Augustinus  
 Et non solum  
 in ore detinenda

Calce amuleta  
 & Arsenico  
 & Mercurio  
 confectis Boeckel.  
 † 79

Vice  
 Schwaefel  
 1674



rare, facile nihilominus vincentur isti. Nam in peste illa  
 Veneta, cuius mentionem fecimus, cum à præcipuis me-  
 dicis pro singulari præservatiuo fuissent talia proposita,  
 nemo erat ex civibus, qui tales sacculos nõ gestaret; ve-  
 rùm contrariũ successum senserunt omnes, et ex prima-  
 rijs medicis ad quinquaginta fuere tũc temporis deside-  
 rari; Ideò cum Excell. Massaria, Augenio, et alijs doctis-  
 simis viris, talia circumforaneis relinquẽda puto. Et hæc  
 de præcautione satis, quam quisq. privatim sibi, & suis  
 adhibere debeat, si vnũ addidero, quod maximè utile,  
 ac necessarium esse puto ijs, qui cũ ægrotis cõuersati fue-  
 rint, vt sciant, an & ipsi contagiũ contraxerint, nec ne;  
 cõmunis est enim medicorum omnium sententia, vt spa-  
 tio quadraginta dierum in periculo versentur; Consulo  
 igitur, vt balneum sibi parent ex herbis odoratis, vt pu-  
 tã salvia, rosmarino, chamæmelo, rosis, & corticibus ci-  
 triorum, vel aranciorum: deinde nouis vestimentis ab  
 amicis allatis vnusquisq. se induat, mox extra urbem  
 secedat vbi aer sit salubrior, & non suspectus, ibi per  
 triduiũ sumat infra scriptos syrupos. Rec. syrupi de bora-  
 gine, de endiuia, de acetositate citri an. vnc. dimid. aque,  
 vel decocti boraginis, endiuia, acetosæ, pimpinellæ an.  
 vnc. j. margaritarum preparatarum drach. dim. misce.  
 Post syrupos sic purgabis. Rec. floris cassia vnc. i. elect.  
 de Sebesten drach. iij. elect. de ovo drach. j. misce fiat bo-  
 lus, vel dissoluatur cum iisdem aquis stillatit ijs, et post  
 quintam horã comedat: multiplici experimento compro-  
 batum est, vt si quis contagium acceperit à medicamẽto  
 sumpto.

Quando si gerant  
 & gerant sine  
 cum infertis

22



sumpto eadem, vel altera die Bubo, vel carbunculus se  
prodet, sin minus poterit vnusquisq. tutior esse de salute  
sua, modo cum infectis amplius non se immisceat, &  
utatur bona victus ratione.

Superius inter causas naturales, & externas, men-  
tionem fecimus aeris, prauorum ciborum, et potuū, atq.  
ipsius contagij. Quibus causis, cum diuersae sint, diuerso  
quoq. modo cum à nobis ipsis, tum potissimum à Magi-  
stratu ipso, illis obuiam esse eundum videtur. Testatur  
Gal. lib. de Theriaca ad Pisonem cap. 16. quòd Hippoc.  
cum animaduerteteret pestem ex Æthiopia in Graciam  
venientem, ventis nimirum illam adducentibus, nulla  
alia ratione illā à suis Græcis repulerit, eamq. inde planè  
auerterit, nisi igne perenni aerem puriorem reddendo ex  
lignis suauem odorem redolētibus. Cognouerat enim Vir  
sapiētissimus, putredinem illam non ex occulta aliqua  
causa, vt perperam quidam Hippocratis mentem inter-  
pretati sunt, sed ex nimia humiditate fuisse cōtractam,  
cui exiccantibus, et humiditatem illam excrementitiam  
absumentibus occurrere voluit, et quia fœtor putredinis  
est perpetuus comes, ideò fragrantibus odorib. illius ma-  
litiā emendare decreuit; eaq. de causa, vt tāti beneficij  
Ciues essent memores, statuam illi auream in loco publico  
erexerunt. Diuini igitur senis consilium amplectentes,  
& nos idem faciendum curabimus, si in eodem periculo  
locum ubi fuerimus, constitutum animaduertimus.  
Sed quia copia eorum preciosorum, quibus ipse vsus est,  
odoramētorum nos caremus, ideò in ipsorū locum Thus  
Æthio-



*Æthiopicum, Myrrhā, Styracem, Benzoinum, baccas lauri, iuniperi, myrthi, et his similia accipere poterimus. Quòd si ignis accensus in Ciuitate aeris corruptelam emendare nō poterit; tunc viciniore sylvas comburere, & ut aliquibus placet, bellicis quoq. tormentis malitiā illius emendare tentandum erit; Neq. à ratione alienum videtur, ut unusquisque in proprijs ædibus odorata suffimenta fieri curet, sic tamen, ut in æstate frigidiora, in hyeme calidiora semper eligantur. Idem faciendum cū ex stagnantibus aquis, cloacis, sterquilinijs, et id genus putridis exhalationibus aer inficitur. Sed præter hæc tenetur Magistratus originem tanti morbi à peritioribus medicis inquirere, ut tempestiuè Ciuitatem à tanta labe liberare possit. Iam si naturalibus remedijs, aeris corruptio emendari nō poterit, ut ad salubriorem locum nos ipsos transferamus, cōsulo: ibi tam diū mansuri, donec Clementissimo Deo visum fuerit tantam calamitatē à loco habitationis nostræ penitus auertere, & ut vulgò dici solet, citò abire, procul abesse, ac tardè redire. Sin autem aer insigni aliqua intemperie corpora nostra alterare cæperit, per contraria, quoad eius fieri poterit, corrigendus omnino erit, ita ut vel publicè illud fiat, vel saltem unusquisque priuatim in suis domibus sibi ipsi prospiciat, tam suffitibus, quàm cibis, ac potibus intemperiem istam corrigentibus.*

*Quòd si ex prauis alimentis, & potibus pestis originem habuerit, tunc tota ferè præcautionis vis in Magistratu, vel in exercituum Ducibus reposita esse videtur;*



detur; qui providere debent, ne quid corruptum in Ciuitate, vel in exercitu vendatur; Et Quod de cibis, ac potibus prauis dico, idem intelligi volo de ijs, qui etsi ipsi putridi non fuerint, vitiosiores nihilominus succos in nostro corpore, saltem sua copia, generare possunt; Nam hac sola de causa scimus, exercitus in Vngaria aliquando dissipatos ob nimium usum melonum, & aliorum fructuum humidiorum, quibus abundat fertilissima, ac nobilissima illa Regio.

Ceterum si ex contagio pestis in Ciuitate occultè serpsit, ut sepius fieri animaduertimus, facilius huic malo occurret Magistratus, si statim à principio, contagij originem inuenerit, & postea progressum illius seuerissimis legibus intercluserit, eaque omnia seruari preceperit, quæ à Christianissima, atque prudentissima Republica Veneta in hoc casu præcipi animaduertimus. Admonemus interim, ut vnusquisq. sui rationem habeat, ut temperanter viuat, cibis optimi succi utatur, & potibus: Ebrietatem, immodicam uenerem, somnum meridianum, lusus omnes, & publicas conuersationes, qualescunq. fuerint, in primis euitet, Curas & animi sollicitudines à se abijciat; sit misericors & liberalis erga pauperes, Deoq. Opt. Max. se tradat, cui soli sit honor, & gloria in sempiternum. Amen.

Vide Camerarium de pestis.

F I N I S.



383

384



